Gurlitt . Petri Henrici Christophori Brodhagenii
1806

o

Narratio
de Vita Petri Henrici Christophori Brodhagenii,
Mathematatum Professoris Publici
in Gymnasio Hamburgensium illustri,

publice scripta ab

Joanne Gurlitto,

Professore OO. LL. Publ., et hoc anno Gymnasii Rectore,
Directore et Professore Joannei, rel.

Hamburgi 1806.

Typis exscripsit Theophilus Fridericus Schniebesius, Amplissimi Senatus,
Gymnasii et Joannei Typographus.

Tritum est ac pervulgatum, Cives, omnes artes et doctrinas communi quodam vinculo esse inter sese nexas et colligatas, vt altera alterius ope carere non possit. Hoc quanquam cuivis non dicam literarum perito, sed earum cognitione vel leviter imbuto sponte pateat, quum nemo locum unum alterumve alicuius disciplinae perlustrare possit, quin sibi aliquid auxilii ad eum plenissime cognoscendum aliunde arcessendum esse animadvertat; non pauci tamen reperiuntur, qui uni alicui arti se ita addicant, ut nihil literarum praeter illam attingendum sibi esse arbitrentur; qui se suae artis finibus tam religiose coërceant, ut ultra eos exspatiari propemodum nefas habeant. Isti autem vel ducuntur opinionis aliquo errore, de consiliis, quae in artibus tractandis sequi debeamus, perperam conceptae, vel laboris assiduitatem et contentionem defugientes tralaticium illud, *non possumus omnia omnes*, nobis occinunt. Cum utrisque breviter agemus. Atque hi quidem, qui, dum plures artes complecti iubentur, molem studiorum improbam humeris suis imponi queritantur, hi, inquam, non reputant, nos plurium studiorum coniunctionem suadendo neutiquam hoc velle, ut aliquis per omnem vitam pari contentione in plurimarum atque adeo omnium literarum studia incumbat. Hoc sane naturae humanae vires, praesertim in hac, in dies magis magisque succrescente, rerum discendarum segete, excederet. Verum, ut magni *Hemsterhusii* verbis meam sententiam explanem, *) sic habetote Cives, „nihil utilius esse, nihil opportunius, quam vt in latissimis eruditionis humanae campis certos, quos studiose colat, quisque sibi fines designet, neque „tamen intra limites semel fixos ita se tanquam glebae adscriptus contineat, ut „eos transire religioni ducat, et ceteras doctrinae regiones non secus ac triste „bidental contactum fulmine devitet. Aliud nos monent mutua disciplinarum „commercia, quae liberaliter communicatis opibus sese sustentant. Verumtamen, quicquid in alieno decerpis, diligenter inspectum et consideratum in

---

*) v. *Tiberii Hemsterhusii* oratio de Mathematum et Philosophiae studio cum literis humanioribus coniungendo; quae reperitur in *Hemsterh.* et *Valckenari* oratt. Lugd. Bat. 1784. 8. editis p. 99-120.

„usus tuae illius, quam selegisti, doctrinae recondito. Idem ego severe vobis, „si quid auctoritati meae tribuitis, interdico, ne proterva ingenii desultorii levi- „tate, sive potius libidine, huc illuc temere vagemini, quae primis modo labris „degustaveritis, statim, si displicuerint, fastidiose relinquentes. Pestis haec „est et pernicies eruditionis solidae." Haec *Hemsterhusius*. Neque est, carissima capita, quod difficultatem laboris plurium artium studio exhauriundi perhorrescatis. Est enim ea seculi, quod vivitis, felicitas, ut multis et praeclaris studiorum auxiliis abundemus, quibus pristinae aetates non sine magno incommodo suo carebant. Haec praesidia, dummodo ingenii facultas et erectior animi indoles non desit, via plana et compendiaria vos breviori tempore ad multarum literarum adyta perducent, ad quae maioribus vestris per multas easdemque arduas ambages et anfractus erat penetrandum. — Quid vero illi, qui, pravis in literarum studio consiliis delusi, in una aliqua arte haerendum esse autumant? Hi parvum sane quid et humile sapiunt, quum tanquam illiberalium et sordidarum artium studiosi in artibus ingenuis pertractandis lucrum maxime aut honorem aut alias vanas rerum species sequuntur. Atque hi fere eam ipsam artem, quam sibi delegerunt, tam angustis finibus circumscribunt, ut ultra vulgarium compendiorum maciem vix sapere audeant. Deproperanda enim studia esse clamitant, ut commoda illa scilicet praeclara, quae unice spectaverint, tanto celerius assequantur. Quae autem commoda vana in arte discenda sequuti sunt, ea fere et in eadem facienda respiciunt, adeo ut muneribus, quae nacti sunt, publicis in magnum eheu! et literarum et reipublicae detrimentum opera subitaria et perfunctoria fungantur. At literae bonae profecto divinum aliquid spirant; divinum ergo quiddam in iis amplectendis spectandum est: ad sublimiorem sapientiam et virtutem, hoc est, ad dei similitudinem, iis attolli debet animus noster; ad haec igitur altiora in iis tractandis enitendum est. Qui autem ad haec altiora studiorum consilia mente sua exsurgere valet, nae is facile intelliget, *omnes artes liberales non tantum propterea studiis nostris esse consocianda, quod unum quasi orbem conficiant, neque adeo ulla sine reliquorum adminiculo recte percipi possit,* sed hac quoque de caussa, *quod ad ingenii mentisque vires acuendas, ad animi studia excolenda, ad mores denique fingendos ita conspirent,* ut nisi singulae, certe genera

earum alia aliam mentis animique vim, tanquam peculiarem et propriam regionem, et quasi totius agri subigendi partem, sibi excolendam sumserint, ita ut qui unam et item alteram disciplinam plane neglexerit, non omnes ingenii animique partes exercuisse et locupletasse existimandus sit.

Quod de omnibus literis valet, id prae ceteris affirmari debet de *Philologiae* et *Matheseos* studiis illis de caussis copulandis.*) Haec enim utraque ars privam quasi provinciam ingenii humani est sortita, in qua ditanda ornandaque elaboret, ut neutra eandem laudem sibi vindicare possit, sed diversam, utraque tamen propriam et domesticam, eandemque aeque magnam et egregiam. Atque haec res fecit, ut veteres Mathesin ad orbem earum literarum referrent, quae, quippe ad humanitatem plene excolendam tractandae, humaniorum nomine nobilitatae sunt. Hanc ἐγκυκλοπαιδείαν dicebant. Utinam vero recenti tempore nunquam exstitissent, qui, revulsis humanitatis terminis, a veteribus recte constitutis, Mathesin et Philosophiam a Musarum choro segregarent, eoque grave damnum et literis ipsis et studiosorum ingenio inferrent.**) Res utique uberiore disquisitione digna, et vellem, ut vestrum aliquis, cives, eam copiosius persequeretur. Mihi quidem iam non licet, nisi summis rerum attingendis defungi. *Quid igitur est, quod desit Mathematico disciplina humanitatis parum aut nihil exculto? Quid est, quod desiderari in se patiatur Philologus a Mathematicis artibus rudis?* Incipiamus ab hoc.

Nostis primum omnium et praecipuum, quod in mathematica disciplina omnes praedicare solent, emolumentum esse in diligenti via et ratione, qua docendo procedat. Neque enim nisi notionibus accuratissime finitis decreta sua pronuntiat, perpetuamque seriem et ordinem enuntiatorum et ratiociniorum

*) Carolus Frider. *Hippius*, Collega noster in schola Joannea et Gymnasio aestumatissimus, docuit Vos nuper in oratione, qua munus professoris Matheseos in Gymnasio adiit, *quantum studium Matheseos valeat ad excolendam mentem humanam.*

**) Factum hoc brevi post secula decimum quintum et decimum sextum. Nam illis seculis instauratores literarum bonarum coniungendo vtroque studio veterum auctoritatem adhuc sequebantur. Conqueritur etiam *Ruhnkenius* in vita Hemsterhusii p. 30-33. de Mathesi et Philologia recenti aetate per literatorum ignaviam disiuncta.

necessario sese subsequentium religiose servat, ita ut a facilibus et planis ad difficilia et ardua, a concessis ad concedenda, a certo cognitis ad abdita et recondita, quae inde necessaria consequutione efficiantur, progrediatur. Scio equidem, hac via, praesertim ex quo *Christianus Wolfius* eam commendavit, quosdam in alienis quoque literarum campis esse ingressos, ut theologicam adeo formulam et iurium expositiones in caussis agendis ad eius normam dirigerent. Verum neutiquam hoc ago, ut illam rationem in aliis doctrinae generibus superstitiose sequendam affirmem, sed hoc mihi tamen quemlibet daturum confido, Philologum inprimisque Criticum, geometricae subtilitati adsuetum, nihil temere sumturum, sed in omni disquisitione a principiis, quasi fundamentis, certis et firmis ordiendo eam molem argumentorum structurum, quae apte cohaereat, eumque sententiarum et rerum ordinem et nexum in scribendo quoque diligenter servaturum. — Alia eaque nescio an gravior caussa, quare Philologo Geometriam commendandam censeam, est haec, quod animum a sensibus ad ea, quae mente intuemur, contemplanda et intelligenda traducit, quod in notionibus infinitis et communibus fingendis versatur, denique quod vera duntaxat, quae evinci possunt, sequitur, ad eaque agnoscenda non persuasione aliqua probabili allicit, sed demonstrationis invictae vi et robore cogit. Ista vero facultas notionum universarum vel formandarum vel definiendarum et explicandarum quam necessaria sit in disciplinis philosophicis, Psychologia maxime et Aesthetica, nemo non videt. Harum autem scientia quomodo carere possit Grammaticus philosophus, sive in verbis singulis origines eorum notionumque iis subiectarum historiam enarret, sive synonymorum discrimina definiat, sive sententiarum, ornatu praesertim poëtico aut rhetorico velatarum, vim scrutetur et eruat? Jam vero quantum ad doctrinas grammaticas, criticas et historicas, quae non veritatis imperio, sed veri similitudinis probabilitati subiectae sunt, in quibusque adeo in duobus scopulis, vt Ruhnkenius ait, multorum naufragiis infames, temeritate et superstitione facile offendas, quantum igitur ad has doctrinas tractandas proderit ingenium attulisse geometrica disciplina subactum, hoc est, spernendis hominum auctoritatibus, examinandisque rerum momentis adsuetum, quod nihil temere sumat, nihil nisi pensitatis vtrimque rationibus pro-

bet, neque in his pensitandis vagetur et erret. Quodsi semper tale fuisset criticorum et literatorum ingenium, multo melius actum esset de multis scriptoribus antiquis, neque tanta mole rerum inutilium, tanta opinionum vel levium vel portentosarum farragine in literis antiquis laboraremus. — Jam si de animo et moribus quaeritis; nonne eam artem, quae mentem a rebus sensus impellentibus abstrahit et ad concipiendas notiones sublimiores et prorsus divinas attollit, ad hos quoque pertingere arbitrabimur? Nonne is, qui sanctum veritatis amorem et studium incorruptum e disciplina sua traxit, hoc in vita quoque agenda ubique locorum praestabit? num vanis rerum facile auferetur is, qui arte sua edoctus est, nulli rei assensum praebere, nisi quam, ab omni parte ponderatam, veram et probabilem repererit? Nonne is, qui avocare mentem a rebus sensibilibus consuevit, ad altiorem naturae eiusque auctoris contemplationem facilius excitabitur, nonne luxuriem ingenii, seculi vitium, citius compeſcet, affectuum impetum franget, mores ad gravitatem et constantiam componet? Sublimioribus profecto sensibus efferri et altiora sapere animum eius necesse est, qui ei doctrinae operam suam non denegavit, quae per caelos, per terras, per maria vagatur, eaque dimetitur. Nobilissimis autem illis et plane divinis gaudiis, quae percepta demonstratione theorematis alicuius tacitum pectus pertentant, quaenam alia possint aequiparari? Concedo, hanc, quam vltimo loco attigi, Matheseos vim communem esse, non eam, quae proprie pertineat ad Philologum; neque tamen hic idem ea carere poterit. Sed si propriam poscitis; nostis nonnullos superioris maxime aetatis Grammaticos coniecturas suas et opiniones, tanquam e divino scilicet aeternae veritatis fonte haustas, tanta confidentia pronuntiasse; vt eos, qui vel leviter dissentire auderent, pro truncis haberent, et vel fastidiose deriderent, vel rustice increparent et conviciis proscinderent. Hanc superciliosam arrogantiam et fastum scholasticum facilius deponet, modestiamque servabit is, qui mathematicis studiis graviter admonitus est, nos in opinabili doctrina versari, in qua vel maxime cauti praestare haud possimus, fore, vt nunquam coecutiamus, nunquam auctoritate aut consuetudine decipiamur, nunquam vanitate aut errore turpiter labamur. — Dixi hactenus de forma maxime Matheseos, quantam vim exserat illa in mente animoque Philologi; sed materiam qui spectat, hanc eidem magna ex parte plane

necessariam esse reperiet. Sed haec quum notiora sint, verbo tantum de duabus Mathematicorum disciplinis monebo. Quis historicum agere potest, neglecta descriptione et ordine temporum? Huius autem doctrina recondita et accurata vnde hauritur, nisi ex chronologia mathematica? Jam vero in munere critici quomodo se tractabit is, qui sine omni Astronomiae, praesertim antiquae cum recentiori comparatae, scientia ad illud accedit? Nostis enim, quot ornamenta antiqui poëtae ex astrorum scientia carminibus suis petierint, et quot loci in antiquitate graeca et latina sine hac plane perfecteque intelligi haud possint.

Mathematicus contra literarum disciplina eruditus, si gratus esse velit, *se non pauciora minoraque bona literarum antiquarum studio accepta referre fatebitur.* Vt enim omittam, quae ipsi petenda sint ex literarum elegantiorum quasi arvis ad suam artem erudite excolendam, vt taceam linguarum veterum peritiam ad cognoscenda veterum mathemata, lectionemque Mathematicorum antiquorum et Physicorum, paucorum quidem illorum, qui ex naufragio barbariei servati restant, ad historiam artis suae e fontibus hauriendam; quanti, quam vberes ad mentem eius et animum ex amplissima Philologiae regione redundant fructus? Errant, qui Philologiam meram disciplinam verborum putant; quem errorem iam ipsum eius nomen refellit. Nam in hac antiquarum linguarum cognitione simul inest pars historiae ingenii humani, a prima ruditate per multos quasi gradus ad perfectionem, subtilitatem et elegantiam exculti, *) vt, qui illas docte perscrutatus sit, hoc est, qui origines vocum, primasque significandi virtutes eruerit, primas quoque multarum rerum humanarum ac divinarum notiones ab ingenio humano conceptas atque adeo multorum errorum origines non possit non deprehendisse. Multo magis etiam hoc emolumentum praestat historia, per quam, cum Grammatice et Critice iuncta quasi dextra consociatam, non tantum variorum populorum res gestas, sed etiam reperta, instituta, mores, opiniones, theologorum item et philosophorum placita ac decreta per omnium seculorum decursum edocemur. Quid vero Mathematico, arte sua ad certam cogitandi normam et ad demonsrationis rigorem religiose adsueto magis necessarium videri

*) v. *Hemsterhusius* loco laud. p. 109 - 112.

possit, quam vt in reliquis rebus humanis et divinis se in diversas cogitandi formas induere et vias rationesque, quibus tam varie in iis aberratum sit cum caussis suis reperire condiscat? Ita enim assequetur hoc, vt rebus, quae demonstrationis evincentis subtilitatem non admittunt, assensum, sola antiquitatis auctoritate scilicet divina subnixum, neque ipse praebeat, neque ab aliis praeberi poscat; a quo errore Mathematici aliqui celeberrimi haud alieni fuerunt. Quem enim fugit, quosdam eorum formularis theologiae, qualis superioribus seculis tradebatur, decretis quibusdam, rationi rectae repugnantibus, neque vllo fundamento grammatico aut historico nixis, pertinaciter assensum praebuisse, quosdam apocalypticis adeo somniis et phantasmatibus horrendis esse delusos, alios denique Astrologiae et Alchemiae portenta studio suo esse complexos? Mathematicus vero, philologicae disciplinae alumnus, persuasum potius sibi habebit, in rebus probabilitatis et veri similitudinis legi subiectis hac lege sola nos stare debere, hoc est, non nisi sanae rationis et conscientiae recti *) quasi armis munitos per diversarum et repugnantium opinionum turbam ad veritatis arcem eniti. Quid vero? quum et historiarum studio et scriptorum variorum et saepe admodum diversorum interpretatione varias eiusdem rei cogitandae formas, infinita etiam opinionum errorumque monstra cognoverit, modosque, quibus ad illa delapsi sint homines, et rationes, quibus sustentata sint, perspexerit, nonne praeter facultatem se facile in aliorum cogitandi formas insinuandi mentemque eorum induendi, nonne, inquam, praeter ingenium tractabile et propemodum dixerim sequax, etiam animum in ferendis aliorum opinionibus lenem et facilem et ad errores eorum excusandos propensum ex illis studiorum contentionibus tanquam spolia opima reportabit? Neque enim omnia omnium animi sensa et placita ad unius eiusdemque decreti regulam dimetietur, sed aliarum quoque multarum rerum, educationis, consuetudinis, morum civitatis, regionum indolis, caeli naturae, imperii sacrorumque formulae, in exputanda erroris peccatique culpa, rationem habendam esse arbitrabitur. — Quid vero dicam de vi,

*) Egregium locum *Senecae* epist. 41. hic commemorare liceat: *prope est a te deus, tecum est, intus est: sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos.* Conf. Cic. N. D. 3, 36.

quam linguarum cultissimarum studium, scriptorumque omnibus dicendi virtutibus praestantissimorum frequens lectio et interpretatio in excolendis inferioribus etiam, quas dicunt, mentis facultatibus exerceat? Memoria sane varia et multiplici vtilissimarum rerum copia impletur; imaginandi vis multis elegantibus aut insignibus eiusdem rei imaginibus et phantasmatibus exornatur, sensus venustatis et elegantiae, iudiciumque recti, apti atque decori acuitur et perpolitur, multarum notionum, plurium linguarum verbis tanquam formis expressarum, adiuvatur perspicuitas, gravitas et amplitudo. Spectat quis animum et mores? Lectione veterum animus magnis et excelsis sensibus virtutis, pietatis, liberalitatis, fortitudinis extollitur, egregiis sententiis de rebus divinis et humanis ad vitam moderandam instruitur, excellentibus exemplis ad omne rectum et honestum incitatur; omnis denique mentis, animi et morum habitus humanitatis egregia disciplina formatur ac nobilitatur. Quid? quod Mathematicam eam artem esse constat, in qua praesidiis aliquibus ad vitam exhilarandam et otium recte collocandum prae ceteris indigeamus. Honestissima vero Mathematicus reperiet in eleganti literatura, quae animum tam iucundis illecebris devinciunt, ut leves vitae voluptates, vanaque gaudia et ludos fastidiat, quibus facile iudulgere reperiuntur qui nihil, nisi artem suam, callent et faciunt. Usu enim perpetuo comprobatum, quod Cicero ait: *haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant*, nostis reliqua. *) Unde denique dicendi scribendique elegantiam et ubertatem Mathematicus petet sibi, nisi a grammatica et critica explicandorum veterum subtilitate, quae in dictione minutissima quaeque excutit et ponderat? Miramur saepe homines, literarum scientia, etsi nunquam studiis scholae vacaverint, non mediocriter excultos, qui mentis sensa in negotiis vitae et circulis amicorum dicendo non male exprimere soleant, si autem ad scribendum se contulerint, nihil rectum, nihil a vitiis purum, nihil ordine quodam sententiarum dispositum aut nexu aliquo aptum proferre valeant. Videte quaeso, ne haec labes a grammaticae latinae, vel vulgaris istius et tralatitiae, quae in infimis scholarum classibus traditur, neglectu maxime sit repetenda. Haec

*) Orat. pro Archia poëta c. 7.

enim quantam vim habeat in mente puerili regenda et formanda, nondum, quod sciam, diligentius a quoquam explanatum est. Si vero haec *plus habet in recessu, quam in fronte*, ut Quintilianus ait, quantum et quam grave momentum altioris et κριτικωτέρης Grammaticae ad recte atque ordine cogitandum et scribendum, exercitatione accedente, statuemus! — Omnino autem Mathematicus, sicut ceterorum doctorum quivis, literarum humaniorum studia in omni vita sibi prodesse sentiet, etiam ibi, ubi minime suspicetur. Nam licet sane ad Mathematicum quoque transferre, quod Cicero alicubi *) de oratore affirmat: *nemo est* in Mathematicorum doctorum *numero habendus, qui non est iis artibus, quae sunt libero dignae, perpolitus: quibus ipsis si* in theorematibus demonstrandis et in rationibus effatorum expediendis *non utitur, tamen apparet atque exstat, utrum sit earum rudis, an didicerit. Ut, qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palaestrae, sed indicat ipse motus, didicerintne palaestram, an nesciant: et qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen, utrum sciant pingere, an nesciant, non obscurum est: sic* in his rationibus arithmeticis ductandis, in his effatis mathematicis evincendis, *etiamsi proprie ceterae non adhibentur artes, tamen facile declaratur, utrum is, qui* demonstret, *tantum modo in hoc* geometrico opere *sit iactatus, an* ad mathemata demonstranda *omnibus ingenuis artibus instructus accesserit.* — Possem quae dixi, exemplis et Mathematicorum et Philologorum in utramque partem confirmare; sed mala exempla, ut aiunt, sunt odiosa. Bona poscitis? E Philologis, qui mathematicae subtilitati multum debuerunt, *Hemsterhusium, Gesnerum, Ernestium*, e Mathematicis autem bene multis, literarum doctrina ad elegantiam excultis, *Kaestnerum, Pfaffium, Hindenburgium, Klügelium, Lorenzium* commemorasse sufficiat.

Nolite dubitare, Cives, in quorum numerum referendum dicam *Brodhagenium* nostrum. Quum enim sinceram veritatem, adulationi aeque ac timori inimicam, omnium dictorum factorumque viri boni legem summam habeam; etiam amicum non aliter, nisi vere laudandum esse arbitror, maculasque eius, quas inopia aut educationis incuria fudit, liberrime confitenda, et, si fieri possit, excu-

*) de Orat. 1, 16.

sanda. Itaque ingenue fateor, fuisse Brodhagenium nostrum, sine omni tamen culpa sua, ex eorum numero, in quibus animadvertere licet, quid in magnis illis, quae Mathesis studium et scientia menti praebet emolumentis, ingenio tamen et moribus eius ad perfectionem desit, qui humaniorum literarum studia aut superbe fastidiverit et neglexerit, aut, fortunae malignitate impeditus, tractare non potuerit. Sed ut ne quis viro illo eximio id vitio a nobis verti existimaverit; nulli iustius et verius laudantur, quam quorum laudatio nec defectus illius et labis commemorationem defugit, quae saepe virtutibus et meritis optimorum hominum, sive ex imbecillitate humanae naturae, sive ex fortunae invidia adhaeret, quae in multis vitam nostram moderatur.*) Quare agite, Cives, vitam Brodhagenii ita exponamus, ut, qua via et ratione in talem Mathematicum et in talem hominem evaserit, qualem vosmetipsi cognovistis, appareat. Ita enim in eam potius ingenii eius, obstacula quaevis perrumpentis, admirationem mecum abripiemini, quae vituperio de labe ex re angusta domi, a sero studiorum contracta, locum non relinquit.

Natus est *Petrus Henricus Christophorus Brodhagenius* Hamburgi, anno praeteriti seculi quinquagesimo tertio d. 25 Octobris, e patre *Joanne Henrico*, opera diurna eaque mercenaria victum quaerente, et matre *Sophia Hedeviga Fallenthal*, utroque parente Megalopolitano. Pater quum in re esset tenuissima, quippe assiduo labore nihil praeter necessaria vitae merens, filium liberaliter educandum instituendumque curare non poterat. Mittebat tamen in ludum publicum, usque ad nostram aetatem cum schola coenobii Joannei literaria coniunctum, in quo egenorum civium et incolarum filii, artibus sedentariis et illiberalibus tractandis destinati, publice in iis rebus erudiebantur, quarum scientia etiam infimorum ordinum homines sine suo et reipublicae damno carere non possunt.

*) Egregie *Celsus* de confessione erroris, ab Hippocrate facta, ait: *Levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt* (nec detrahi patiuntur). *Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit simplex veri erroris confessio.* — Sic dives parvum rei familiaris detrimentum non curat et vix sentit, egenus contra vel levissimas res pertinaciter retinere debet ac tueri.

Donec in illo ludo a magistris, *Heerwagenio* et *Wesselhoeftio*, institutus est, mercedula ex humilibus ministeriis, quae aliis praestabat, redeunte et victum et libellos necessarios sibi paravit. Nos ipsi meminimus, eum cum voluptate quadam narrare, librum aliquem, qui de vita *Turennii*, Francogallorum ducis bellici, exponeret, fuisse omnium primum, quem isthac mercedula parasset; carum sibi, quod primos studii mathematici igniculos in se excitasset. Enimvero mox in adultiore pueritia, et ingenio suo et opportunitate loci excitante, ad rei nauticae studium delatus, huic unice vacare eiusque ratione et doctrina recte percepta nautis in itineribus maritimis operam praestare apud animum constituit. Quare ad artem navium gubernandarum studio suo comprehendendam *Fruchtnichtio* cuidam in disciplinam sese tradidit, qui illam per multos annos Hamburgi iam privatim docuerat.*) Sed quum totus in illo studio detineretur, itaque ad ea progrederetur, quibus illa ars tanquam fundamentis suis nititur; hac ipsa arte duce ad Astronomiae primum et Trigonometriae sphaericae studia est delatus. Ad quae persequenda quum videret Geometriae, quam puram dicunt, cognitionem idoneam requiri, mox etiam ad hanc perdiscendam omnem operam contulit. Itaque tandem eo devenit, unde egrediendum ipsi fuerat; quae est fere conditio eorum, qui ingenio suo ad literarum studia excitati, in iis tractandis sibi ipsi duces sunt et auspices. Quum igitur subsidia artis neque haberet, neque nosset, nemine suppeditante vel monstrante, vix ultra tenuitatem scientiae mathematicae et ultra cognitionem earum rerum inopem et exiguam esset progressus, quae ad usum artis in vita qualemcunque sufficere putantur, et quarum scientia instructi quidam se magnos Mathemathicos iactitant, nisi forte fortuna, cuius etiam aliqua pars est in formandis ingeniis, et cui adeo in literis quoque non pauca debemus, in notitiam Mathematici alicuius, hominis umbratilis, in re angusta et tenui in urbe nostra tum viventis, venisset. Hic flagrantissimam doctrinae cupiditatem iuvenis nostri admirans, idemque animadvertens in eo cognitionem rerum mathematicarum variam quidem et multiplicem, neque tamen via

*) Scripsit hic etiam libellum, qui ita inscribitur: *Vorbeelden en Regeln op Zee den waaren Tyd en Zons Azimuth te vinde door J. J. Fruchtnicht.* Hamburgi 1790.

et ratione recta comparatam, nec fundamentis disciplinae idoneis suffultam et caussis suis partibusque apte nexam, hic igitur cognitionem illius passim vagantem et multas res sine ratione et ordine complectentem cogere quasi et colligere eum iussit formulae rationisque imperio. Quare ipsi commendavit *Christ. Wolfii*, philosophi olim Halensis, elementa Mathesis, lingua vernacula scripta. Qui liber, quantumvis in multis vitiosus, ut Segnerus primus publice docuit, mirum quantum in Germania ad studia Mathesis excitanda et colenda contulit. Hic enim idem est, qui, hoc uno exemplo liceat defungi, *Wünschii* quoque, Professoris nunc Francofurtensis ingenium, dum manus in textura occupabatur, Mathesis studio incensum, primum aluit, eiusque doctrinae sitim explevit. Praeter Wolfii librum formularem doctor novus alium disciplinae suae alumno praebuit, nauticam artem, quam late patet, complectentem, lingua Batava scriptum, in quo eae disciplinae mathematicae, quae sunt nauticae subsidiariae, simul erant tractatae. *) Sed mox eheu! hic Brodhagenii nostri praeceptor inopia, aegritudine animi, mentisque iniquitate et delirio eo prolabebatur, ut vi sibi ipsi illata e vita cederet. Itaque noster magistro suo orbatus et sibi iterum soli relictus, librorum illorum, qui ipsi per illum innotuerant, solo auxilio nitebatur, eorumque auctoritate sola stabat. Cursu tamen semel incitato reprimi adolescens discendi cupidus non potuit; duce fido privatus non substitit, sed comitibus illis duobus libris alacriter ulterius perrexit, atque eo est progressus, ut a. 1777 Büschium, Professorem Mathesis doctissimum et non de Gymnasio tantum civitateque patria, sed omnino etiam de literis, inprimisque de iis, quae ad negotiationem pertinent, ad rationem revocandis et in artis formulam redigendis immortaliter meritum et in illa doctrina in Germania principem, ut hunc inquam virum fautorem nancisceretur, exhibita ipsi computatione et delineatione defectus lunae, tanquam specimine scientiae astronomicae sibi comparatae. Hoc perlustrato *Büschius* admirari Juvenis ingenium et scientiam operose acquisitam. Haec tanto magis erat in eo admiranda, cui vitae necessaria, pueris in arte scri-

*) Inscriptus est hic liber: *Vermeerderde School der Stuurluyden door Oostwond, tot Hoorn.* 1712.

ptoria et arithmetica atque in pictura lineari instituendis, hactenus fuerant comparanda; sicuti olim puer opera manuaria aliis praestanda victus ipsi fuerat quaerendus. Sed impedimenta extrinsecus obiecta ingenium nostri non hebetaverant. Adeo non semper est paupertas ingenii suffocatrix! *) Jam vero *Büschius* iuvenis cupiditatem doctrinae inflammare, ipsumque non tantum hortari, ut huic studio unice vacaret vitamque impenderet, sed omni quoque opera et studio eum adiuvare, libros utilissimos e bibliotheca sua instructissima et locupletissima ipsi suppeditare, atque, ut in ordinem quendam studiorum cogeretur, inter Gymnasii cives recipiendum curare. Et fuit profecto Büschius is, cuius doctrinae, institutioni, consiliis, liberalitati Brodhagenius propemodum omnia sua debebat, et debere se grata memoria usque ad extremum vitae halitum recolebat. Verum in hoc tanto liberalissimi viri de Brodhagenio bene merendi studio vituperare forsan quis possit, quod Gymnasii civibus adscriptum non literis quoque latinis et graecis, artibusque iis, quae a veteribus una cum Geometria ad humanitatis culturam referebantur, erudiendum curaverit, quod sane vim magnam ad ingenium, animum, mores et scribendi facultatem alumni sui fuisset habiturum. At nolebat fortassis Büschius iuvenem in curriculo mathematicarum disciplinarum iis literis detineri et retardari, in quibus eum, qui iam ad virilem aetatem provectus erat, vix ita progressurum esse arbitrabatur, ut multum emolumenti inde rediret: quum igitur in illa aetate docte non amplius excoli posset, ad artem mathematicam faciendam potius et usibus vitae accommodandam institui debere. — Errabat vero in hoc vir summus; valet enim quoque hic, quod de sapientiae virtutisque studio Horatius alicubi ait: *est quadam prodire tenus, si non datur ultra.* — Quapropter eius opera multum utebatur in rebus suis, in libris scribendis, in rationibus difficilioribus conficiendis, in

*) Nihilominus tamen *Persii* illud falsum, *famem esse artium inventorem*, si ultra artes ad vitam agendam necessarias patere quis censuerit. Nam illorum doctorum exempla, qui in summa inopia perfecte exculti sint aut magna praestiterint, rarissima sunt. Etiam de nostri cultura multo melius actum fuisset, nisi paupertas offecisset. Nemo igitur parva munerum stipendia, quae docti fere in Germania et Francogallia accipiunt, *Persiano* illo excuset aut defendat.

machinis et instrumentis artis ad experimenta dictatorum in sensus incurrentia apparandis, et quae sunt reliqua. Quum Brodhagenius noster non tantum scientia, sed morum quoque modestia et facilitate praestaret; carus etiam erat aliis, inprimis commilitonibus suis. In his tum erat vir de schola Joannea iam per plures annos bene meritus, collega noster aestumatissimus, *Hieronymus Theodoricus Dalenconius*, linguarum novitiarum, Francogallicae, Hetruscae et Anglosaxonicae iam tum probe gnarus. Is commercio scientiarum cum Brodhagenio, commilitone, inito, in lingua francogallica et anglosaxonica illum eatenus instituit, ut libros mathematicos, his linguis scriptos, quos Büschius e suppellectile sua literaria ipsi suppeditabat, facile et nullo negotio intelligere posset, scilicet vicissim ab eo Algebram et sphaericam Trigonometriam edoctus. Fatetur *Dalenconius* etiam nunc, se tum celeritatem ingenii et discendi cupiditatem amici prorsus singularem, qua tradita omnia illico arriperet et in usum suum converteret, esse maxime miratum, ita ut brevissimo tempore tantum in illis linguis proficeret, quantum e re sua esse arbitraretur. Postquam autem Brodhagenius disciplina Büschii per biennium erat usus, — nam ceterorum professorum nulli operam dedit —; Büschius, ut erat in aliis opera sua, consilio, opibus sublevandis indefessus, precibus adiit opulentos quosdam eosdemque liberales urbis nostrae cives, ut dignum discipulum suum, de quo optima quaeque sperare liceret, ad altiora in universitate literarum enitentem adiuvarent. Et, ut eminet civitas nostra prae reliquis Germaniae liberalitate erga bonos et in bonis rebus exhibenda, obtinuit Büschius facile, quod petebat. Itaque larga patronorum et fautorum liberalitate suffultus Brodhagenius ad Academiam Gottingensem transiit anno seculi proxime praeterlapsi septuagesimo nono. Hic doctoribus usus est magnis illis viris, qui Academiam illam, imo totam Germaniam in suo quisque genere insigniter ornarunt, *Kaestnero* et *Meistero* in Analysi sublimiore, *Lichtenbergio* in Physicis, *Gmelino* in Chemia, *Beckmanno* in Technologia, *Blumenbachio* in descriptione naturae. Praeter hos *Federum* Logicam, et *Meinersium* historiam philosophiae et Psychologiam tradentem audivit, quanquam non pari studio. Triennio ibi in studiis exacto ex academia (1782) rediens, ecce! *Büschio* suo se rursus tradere in curam et tutelam discipulus magistri amantissimus.

Hic illi non dubitavit statim lectiones arithmeticas in academia mercatoria, quam a se institutam cum *Ebelingio*, summo homine, iuncta cura regebat, demandare; quas eum tanta sollertia, dexteritate et fide habuit, ut Rectores academiae ipsum in locum doctoris ordinarii anno insequente (1783) lubentissime sufficerent, vacuefactum illum discessu *Norrmanni*, Professoris iam Rostochiensis, qui tum collega tertius in schola Joannea docendis maxime literis geographicis et historicis fuerat constitutus. Quum igitur Brodhagenius moribus quoque et studiis privatis puerorum et iuvenum regundis iam praeficeretur, in hospitium simul et convictum academiae eiusque procerum est susceptus. Jam vero en! nostrum, domestica societate cum duumviris vastae eruditionis et summae liberalitatis et humanitatis, *Büschio* et *Ebelingio*, Hamburgensis reipublicae ornamentis, arctissime iunctum! En eum in museo Büschiano, in amplissima et instructissima artis suae bibliotheca, in medio apparatu instrumentorum mathematicorum et physicorum vere eximio, in promtuario denique cognitionis omnium intra et extra Europam ingeniose et sollerter recens inventorum collocatum! In hac opum mathematicarum et physicarum locupletissimo quasi horreo versantem novum academiae illius familiarem, quantam et quam largam materiem ingenii excolendi, doctrinaeque locupletandae nactum fuisse et in usum suum convertisse arbitramini, Cives! Agnovit quoque hanc suam conditionem lautissimam grato laetoque animo, ut illam studiorum suorum sedem et domicilium *scholam*, quam frequentaret, *altiorem* vocare soleret. Ceterum tradidit in hac academia praeter Arithmeticam, post Norrmanni abitum, etiam Technologiam, Chemiam technicam, historiam naturae, artem cognoscendarum et diiudicandarum mercium, rel., ita ut cum alumnis disciplinae suae simul officinas et fabricas spectandis operibus manu arteque factis assidue obiret, parvis quoque itineribus in loca vicina eam in rem factis.

Postquam hic in studiis docendi discendique sexennium non sine summa contentione diurna nocturnaque transegisset, eam animi relaxationem vitaeque commoditatem et felicitatem anquirebat, quae conjugii beneficio contingit. In matrimonium igitur sibi petebat *Rahelem Amaliam, Samuelis Andreae Wittii*, mercatoris Hamburgensis honestissimi, filiam. Huius feminae probae materna

stirps ex India orientali erat oriunda. Nam pater Amaliae Londino aliquando in Indiam orientalem ad negotia mercatoria heri sui conficienda profectus uxorem ibi, a gente Britannica oriundam, in matrimonium duxerat, Cum hac vero in emporium illud Europae princeps reversus, suis auspiciis mercaturam agere coeperat. Ex hac igitur decem liberis auctus, novissime Amaliam suscepit. Sed, pro dolor! vix annum vitae agens secundum nostra matrem morte amisit; quae calamitas tanto luctuosior patri fuit, quum illa parvula cum fratre seniore sola superstes esset, reliquis liberis iam ante matris decessum praematura morte abreptis. Sed mitigabatur iste parentis dolor, quum *Dimpfelius*, senator civitatis Hamburgensis amplissimus, quem amitae suae maritum nostra venerabatur, puellam orbam quadriennem in hospitium ac domum reciperet, eamque liberaliter educandam curaret. Haec igitur, ad aetatem nubilem adulta, Brodhagenio, et propter pulcritudinem et propter animi morumque lenitatem probata, a. 1787, in matrimonio stabili vitae socia est locata. Sed quanquam marito e domo Büschia, in qua custodibus et rectoribus puerorum locus non erat nisi caelibem vitam agentibus, iam erat migrandum; academiam tamen suam eiusque conditorem ac praesidem venerandum doctor non derelinquendum sibi putabat. Nam, donec illa floruit, doctrina sua illi profuit, lectionibus quotidie statis horis cum fide habendis; praetereaque filiis civium honestissimorum in mathesi privatim instituendis ad necessaria vitae paranda operam dedit. Huic institutioni non sine magno temporis viriumque dispendio, et magna tamen cum liberalitate, in rebus suis parum fortunatis perquam miranda, vacavit; ut solebat aliis operam suam, sine omni lucri spe ac cupiditate, lubentissime commodare.

Talis viri ingenium, doctrina et industria irremissa latere non poterat societatem illam, in qua civitatis nostrae decus et ornamentum colimus, rebus patriis bene consulentium rationibusque artium et opificiorum promovendis liberaliter et egregie inservientium, patriotas dicunt. Ea enim nostrum ineunte anno 1790 (d. 29 Martii) inter sodales suos, Cel. *Meyero*, Juris doctore et aedis cathedralis Capituli Praeside, viro de republica, de literis et de illa societate meritissimo, inprimis commendante, cooptavit. Huic illo ipso tempore denuo instauratae et amplificatae societati quam fructuosum fuerit Brodhagenii consortium acta

societatis in tabulario eius asservata et commentarii sex voluminibus editi testantur. Verum statuebat societas illa doctrinam viri egregii et industriam publicis praesertim usibus esse adhibendam. Quare non tantum eum ad eas lectiones, quibus iam ab anno 1785 gratuito excolendos curaverat nautas tirones, suscipiendas permovit, et omnibus modis eam in rem adiuvit, sed ipsi quoque scholas ad artifices tirones via ac ratione erudiendos, quas tum (1791) primum liberalissime institui iubebat, in domo publica Eimbeckia quaternis per hebdomadem horis vespertinis habendas demandavit. Utrumque autem munus stipendio annuo, hoc quadringentarum et quinquaginta marcarum, illud trecentarum satis largiter est remunerata, quum utraeque lectiones semestri duntaxat hiberno haberentur. Harum lectionum alterae, quae arti navium gubernandarum erant destinatae, per priores quidem annos a multis frequentabantur, ita ut et societas, instituti auctor, et doctor ab ea constitutus spem caperent, fore, ut nautarum vulgus stultam istam opinionem de disciplina, quae in artis formulam redacta ad rationes omnia revocaret, parum sibi necessaria, tandem aliquando deponeret. Sed nihil valuerunt neque societatis liberalia studia, neque periti doctoris contenta opera ad istum errorem plane exstirpandum. Quare quum mox numerus doctrinae cupidorum ita decresceret, ut denique paucissimi et interdum singuli lectionibus adessent; ipso Brodhagenio suadente societas patriotarum non sine dolore suo a conatu laudabili destitit lectionesque cessare iussit, tempus rei exsequendae opportunius exspectatura. *) — Felicior successus alteris contigit lectionibus, quippe per duodecim annos continuos (1791-1802) magno cum applausu habitis. **) Quae et ipsae quum, sicut illae alterae, semestri bru-

*) Historiam huius muneris in usum nautarum a societate patriotarum suscepti narratam reperies in Commentariis societatis, quae inscribuntur: *Verhandlungen und Schriften der Hamburg. Gesellschaft zur Beförderung der Künste und nüzlichen Gewerbe* Vol. 1. pag. 69. 116. 147. Vol. 2. p. 20. 45. Vol. 3. p. 15, 48. Vol. 4. p. 22, 45. 91. 130. Vol. 5. p. 11. 68. Vol. 6. p. 76.

**) Historia et descriptio huius disciplinae in usum artificum comparatae perscripta legitur in libro modo laudato: Verhandl. und Schriften der patriotischen Gesellschaft Vol. 2, p. 265-316.

mali et quater per hebdomadem extrema vespera, haberentur; a tanto maiore artificum, et magistrorum et adiutorum tironumque, ab opere tum feriantium, numero frequentari poterant, qui ultra trecenarium saepe exsurgebat. Selectos quosdam auditores etiam privatim diebus solis erudiebat. Et Brodhagenius profecto his in lectionibus indies magis magisque profuit, quo magis ex disciplinis Mathesis, Physicae, Chemiae et Technologiae aptiora et usui communi auditorum inservientia deligere, ingeniis horum hominum parum excultis doctrinam accommodare et via rationeque procedere, blandiente inprimis profectu, studeret ac disceret. Attentionis perpetuitatem et repetitionis facilitatem eo adiuvabat, quod singulas plagulas, quae summas rerum continerent, singulis hebdomadibus typis exscribi iuberet, quarum partim societatis patriotarum liberalitate gratis distribuerentur, partim numo venderentur. *) Grato etiam animo senserunt et agnoverunt isti homines beneficium hoc in se collatum, quod artes suas cum caussis et rationibus tractare discerent. Saepe enim Brodhagenio haec laetitia contigit, ut non tantum auditores pristini, qui officinas artis suae alibi terrarum institutas haberent, animum de hausta ex eius lectionibus utilitate gratum ipsi declararent, quam in multis artis suae partibus iam experirentur, sed magistri quoque artium manuariarum, qui adiutores nacti essent Brodhageniana disciplina eruditos, huic e terris adeo longinquis de his adiutoribus suis per epistolas gratularentur.

Aliis praeterea laboribus publice vtilibus Brodhagenius gratiam et apud cives et apud exteros inivit, nempe *Calendariis*, *Hamburgensi*, *Altonano*, *Lubecensi*, *Bremensi*, *Stadensi* et *Hildesiensi* per plures annos concinnandis, conficiendo item calendario, quod accessum lunae ad solem recessumque ab illo per gradus quotidianos, in usum curatorum urbis nostrae noctu illuminandae, definit, observationibus denique meteorologicis in ephemeridibus iis, quae inscribuntur Hamburgische Addreſscomtoir-Nachrichten, perpetuo ordine inserendis. — *Fastos*

*) Ex his plagulis iunctis ortus est liber Brodhagenii, duobis Tomis divisus, qui inscribitur; *Anleitung zum gemeinnüzigen Unterricht für Handwerker, Künstler und Fabricanten.* Sed de hoc infra dicemus.

vero *in usum nautarum* semel duntaxat composuit, eosque breviores, nempe in annum 1798. Priores enim multo luculentiores et uberiores C. G. D. *Müllerus* V. Cl., a Rege Britanniae celoci Stadensi praefectus, per septem annos (1787-1793) conscripserat. Susceperat is hunc laborem per opportunitatem scholae nauticae, de qua modo dixi, apud nos institutae, admonitu et liberalitate conditricis eius, societatis nostrae optimorum civium, cui ipse est adscriptus, excitatus. Sed huic utilissimae utriusque viri operae idem nautarum error offecit, qui scholam nauticam dissipavit. *) — Denique *Mathematicae Societati*, studiis et annis venerabili, quippe iam seculi decimi septimi anno nonagesimo apud nos conditae, Brodhagenius, sodalis eius, laboribus suis non parum profuit. Quapropter haec, cum societate artibus promovendis operam navante iuncta, anni proximi d. 18 Julii parentalia sacra nostro celebravit, oratoribus duobus sodalibus utriusque societatis, H. C. F. *Westphalio* et F. P. *Nuppnavio*, praeclaris ludorum magistris, memoriam defuncti pie prosequentibus.

Sed praeter hos solitos et statos labores alios quoque Brodhagenius noster rogatus recepit, quae erat eius summa officiositas et maximum alios iuvandi studium. Nam nullum propemodum patriae civitatis collegium exstat, quod in rebus gravibus aut dubiis, quae ad Brodhagenii doctrinam pertinerent, consilia eius non exquisiverit, opem non aliquando flagitaverit: ex quibus commemorare liceat collegium aedilicium, senatum rei negotiatoriae, et iudicium rei mari-

*) Quatuor prioribus annis hoc *Calendarium nauticum* impensis Societatis Patriotarum editum est, tribus posterioribus ne inceptum propter paucitatem emtorum haereret, Collegia summorum rei maritimae et mercatoriae praefectorum centum exemplaribus quotannis emendis et gratis distribuendis illud sublevarunt. Attamen neque hoc adiumentum rem potuit sustentare. Quare editio huius Calendarii Mülleriani post annum 1793 cessavit. Prostant septem illa Calendaria nautica cum libello institutionis ad usum eorum sublevandum Hamburgi apud B. G. Hoffmannum in commissis. Plura vide in Commentariis et Actis societatis patriotarum germanicis, Vol. 1, p. 69. 116. 147. Vol. 2, p. 21. Vol. 3, p. 17. 439. Vol 4, p. 57. Neque Brodhagenii conatus venditionis et usus breviore et viliore calendario nautarum promovendi successum habuit. Quare semel tantum modo (1798) illud edidit, quod prostat Hamburgi apud C. W. Meyn. V. Comment. et Acta laudata in Vol. 5, p. 53.

timae. Mandata ab his subinde recepta cum fide et diligentia persequutus est. — Privatim autem Büschium suum adiuvare in omnibus eius laboribus nunquam destitit, in quibus hic non pauca Brodhagenianae doctrinae et industriae accepta refert.

Haec Brodhagenii sui de se merita grata mente recolens venerandus ille senex nihil magis in votis habebat, quam ut illum mox munere publico ornatum videret, quod et ad honorem et ad stipendium satis amplum esset, ut institutioni iuventutis et literis suis secure commodeque posset vacare. Quocirca Büschius Illustrissimo *Hardenbergio*, tum Ducis Brunovicensium in rebus ecclesiasticis et scholasticis, iam Regis Borussiarum in bellicis rebus et reditibus publicis curandis administro summo commendare nostrum olim (1787) haud dubitavit, ut eum *Klügelii*, ex academia Helmstadiensi in Halensem abeuntis, loco Mathesin in illa academia profiteri iuberet. Et satisfecisset fortassis Hardenbergius viri optimi voluntati, nisi *Pfaffium*, doctiorem Geometram, a *Lichtenbergio*, Gottingensi, sagacissimo ingeniorum arbitro, sibi traditum praeferendum putasset. Et recte quidem! Nam etsi Pfaffius tum adhuc iuvenis erat, annos viginti et duo natus, spem tamen prolatandorum Matheseos finium iam scriptis excitaverat, quam cummaxime implet. Sed pluribus annis interiectis Büschius, ne facultatem retribuendi dignissimo alumno beneficia in se collata mors inopina interciperet, mature cavendum sibi putavit. Quare quum propter oculorum infirmitatem non amplius omnibus muneris partibus satisfacere se posse arbitraretur Büschius, quamvis ceteroquin et ingenii et corporis viribus ad omnem vitae actionem vigebat; ad Curatorum rei scholasticae consilium anno seculi proxime elapsi nonagesimo et sexto (d. 20 Septembris) literas dedit, quibus, ut Brodhagenius in professorio munere sibi succederet, exoptabat, diligenti commendatione eam in rem adiuncta. Hoc collegium probe gnarum, omnem erudiendae beneque excolendae iuventutis cardinem in delectu magistrorum, doctrina, industria et probitate praestantium verti, optato Büschii obtemperare non dubitavit, ita ut Brodhagenium d. 1 Februarii anni 1797 professorem Mathesis adiunctum cum iure succedendi, suffragante Senatu faventibusque omnibus bonis, declararet. Sed fautor liberalissimus discipulum sui studiosissimum per triennium modo muneris con-

sortem habuit et adiutorem; quippe e vivis non sine summo omnium bonorum dolore discedens a. 1800. Quo facto Brodhagenius professionem Mathesis in Gymnasio nostro oratione sollenni auspicatus est d. 5 Augusti anni eiusdem; in qua *de Matheseos disciplina eiusque methodo et historia* dixit. — Prioribus statim muneris professorii annis Brodhagenius de utraque schola nostra, instrumentorum artis suae apparatu egregio comparando insigniter est promeritus. Primo enim Cel. *Ebelingium*, collegam nostrum venerandum, in emtione instrumentorum mathematicorum et physicorum Büschii Senatui rei maritimae suadenda omnibus modis adiuvit; quanquam illud Ebelingii praecipue meritum esse, quod ille thesaurus vere aureus, a viris principibus expetitus, urbi nostrae sit servatus, ex actis manu scriptis, quae bibliotheca publica servat, luculenter constat. Quam lubenti animo hic in huius viri laudes digrederer, si id esset huius loci! Taceo igitur de historico et geographo, qualem Gymnasium hoc vix unquam vidit; taceo de bibliothecario, qualem haec bibliotheca nullumdum habuit: sed gratulamini mecum, cives, huic viro, qui enixe suaserit rem nostro Gymnasio et Johanneo maxime salutarem! gratulamini mecum liberalissimis illis viris, qui tum apud nos erant summi rei nauticae praefecti, *Lienavio*, magnifico Consuli, et civibus, *Rowohlio*, *Kühlio*, *Schmidtio*, reliquis, quod tanti thesauri, tanta impensa comparati, usum scholis nostris benigne concesserint! Sed iam ad Brodhagenium revertor. Is non ita multo post meritum hoc, cuius pars duntaxat aliqua erat illius, alio cumulavit, quod ei soli, quod sciam, debetur, quum eosdem rerum navalium magistratus ad aliam, eandemque eximiam instrumentorum mathematicorum copiam comparandam et in usus lectionum publicarum convertendam auctoritate sua permoveret, quae a *Kirchhofio*, Senatore, iam pie defuncto, olim magno sumtu erat collecta. En, Brodhagenium utroque munere beatum; utroque munere, cuius cura ipsi erat demandata, in magnum doctrinae emolumentum utentem! Sed iniecta semel instrumentorum nostrorum, ad Mathesin tradendam necessariorum, mentione, alia commemoranda est supellex non minoris ad doctrinam momenti, de qua Brodhagenius bene meriturus fuisset, nisi fata hunc quoque fructum doctrinae assiduitatisque eius nobis invidissent. Nimirum Consilium commercii regundi, quod apud nos exstat, illustris-

simum inde a triginta fere annis mensurarum ponderumque omnis generis formulas ex omni terrarum orbe ingenti sumtu comportari iussit. Horum discrimina excutere et examinare rationesque exacte inter se conferre auctoritate admonituque illius Consilii noster instituit, eo libentius operae huic vacans, quod inde peculiarem quoque usum in nova *Mercatoris computandis Krusiani* *) editione a se curanda capturus esset. Verum morbo mox impeditus non multum profecit. Profligabit fortassis aliquando et hunc perpendendorum mensurae ponderisque diversi exemplorum laborem, inchoatis a Brodhagenio, quae in tabulario Collegii laudati asservantur, usurus, profligabit, inquam, et hunc laborem, et illum instrumentorum artis mathematicae ordinandorum et describendorum is, qui Brodhagenio ex merito successit, vir doctissimus et propositi tenacissimus, *Hippius*, simulac, quibus nunc eius animus distringitur, curis fuerit levatus.

Superest, ut *de altero Brodhagenii munere publico* dicamus. Etenim postquam professoris officio in Gymnasio recitationibus et mathematicis et physicis habendis per biennium cum summa fide et religione erat functus; in schola quoque Joannea, quae tum instaurabatur, Professor Mathesis et literarum cum hac arctiore consortio iunctarum a reverendo Collegio tuendis scholis praefecto prudenter electus et Senatus amplissimi auctoritate honorifice est confirmatus. In quo munere administrando quum scholae nostrae, quam dirigendam huc liberalissime evocatus paullo ante susceperam, multa ad salutem et veram laudem egregia a novo doctore, qualem in Mathesi Joanneum nondum viderat, cum patronis et optimo quoque sperarem; heu! mentis eius deliquio per intervalla temporis redeunte et imbecillitate ingenii, memoriae, linguae hinc mox insequuta, spes nostra subito est intercepta atque frustrata, quum vix annum munere obeundo explevisset.

Sed *de hoc morbo, eiusque caussis et eventis* plura dicenda sunt, Cives. Quanquam enim ita dolor acerbissimus, quem ex illa doctoris dilectissimi iactura

---

*) *Kruse* (ludimagistri ad St. Nicolai olim apud nos summe meriti) Hamburgischer Comtoirist, qui liber prostat apud Bohnium.

ceperatis, renovatur; tamen exterorum caussa, si qui forte huic scriptiunculae lectores contigerint, faciundum est, ne perperam de collegae nostri miseranda sorte statuant.

Ante hos tres annos et amplius *Joannes Theodoricus Schuchmacherus*, mercator nostrae urbis honestissimus, vir summae integritatis et fidei, idemque Brodhagenii studiosissimus, hunc comitem itineris in Saxoniam superiorem, eiusque metropolim, Dresdam, faciundi liberalissime assumserat; atque hoc iter vim suam salutarem et ad corporis valetudinem et ad animi exhilarationem in Brodhagenio habiturum esse omnes eius fautores et amici sperabant. Nam ante illud iter corpus eius malis quibusdam tentabatur, consequentibus illis ex morbo graviore, e quo olim praeceptor academiae Büschiae decubuerat. Huius morbi reliquiae quaedam resederant, etiam quum iam diu ex illo convaluisset, ut crus sinistrum tumore perpetuo affectum itaque debilitatum esset, ut nisi periscelidibus et strophiis circumvolutum et constrictum officio suo fungi nollet. Ex ictu praeterea et contusione levissima quaque foramina in eo oboriebantur, quae, quanquam mox sanata, facile tamen recrudescerent. Vesica etiam, urinae receptaculum, vi sua defecerat, ut urinam iusto diutius retineret, neque sine magna contentione, cum dolore urente coniuncta, emitteret, quam stranguriam dicunt. Quid? quod reminiscendi vis, qua antea facili et promta gaudebat, multum debilitata videbatur et infracta. Potuissent fortassis haec morbi gravioris reliquiae paullatim exstingui, nisi partim irremissa nostri contentio et in laboribus publicis privatisque assiduitas indefessa, partim animi quaedam vehementia proclivitasque ad iracundiam naturae beneficae vim salutarem ad corporis vires recuperandas impedivisset. Itaque omnem horum malorum tollendorum spem propinqui et amici Mathematici nostri in illo itinere reposuerant; verum ea aliter evenit. Nam in ipso itinere, quum sol acerrimus aliquando per totum diem caput eius radiis suis contigisset, vesperi in deversorio cum amico eiusque uxore, lectissima femina, colloquens subito animi defectione et apoplexia linguae est correptus, ut ipse mihi narrabat, quum in reditu per Magdeburgum in Phrontisterio Bergensi me, futurum collegam, (nam illo ipso tempore Hamburgum eram vocatus,) conveniret. Equidem tum nulla amplius morbi residui et laten-

tis indicia in eo deprehendere mihi videbar; mirabar tamen acerrimam animi vehementiam et iuventae calorem, qui se assiduitate et celeritate loquendi narrandique contentiosa et irremissa prodebat, ita ut lingua eum prius deficeret, quam ingenium aut res. Verum naturae vim et vigorem vividum tum habebam, qui contentionis nervorum vitiosae erat effectus. In ipso quidem reditus itinere casus iste non est repetitus, statim tamen post reditum domi, quum inter suos laboribus diurnis exactis narrando otiaretur, eadem apoplexia rursus est tentatus, quae deinceps saepius, inprimis post contentionem aliquam virium ingenii aut vehementiorem animi indignationem, semperque gravius rediit, ita ut lingua et reliqua membra subito viribus deficerent, os distorqueretur, manus tanquam mortuae refrigescerent, lingua plane torpida vel nihil proloqueretur, vel perversa, obscura et plane alia, atque ipse velle videretur; quippe visis mentis conturbatis, non mente ipsa eiusque voluntate. Quare tum rebus nomina aliena imponebat, cogitataque verbis falsis efferebat, aberrante quasi lingua a rectis. Atque in hoc mali impetu simul vehementiore ira effervescebat, quod erat apertum indicium, mentem sui sibi consciam graviter indignari, quod sensuum instrumenta officia a se imperata exsequi amplius nollent. Sed quum haec calamitas per intervalla duntaxat temporis rediret, aliquamdiu omnes munerum partes explere etiam poterat, lectiones in Gymnasio habebat, libris edendis operam dabat, et munus professorium in schola Joannea primo quidem semestri sine omni haesitatione aut incommodo obibat. Sed mox altero semestri iuvenes doctrinae cupidos ipse audiebam, quum quererentur, se Brodhagenium nostrum vel in maxima animi attentione intelligere et mente assequi amplius non posse. Igitur ego ipse lectiones eius adibam, et nondum quidem delirantem reperiebam, sed animadvertebam tamen, eum omnibus nervis viribusque contentis cavere, ne docendo labaret, ne subsistere cogeretur, ne perperam verba pronuntiaret, ne denique falsis verbis res exprimeret. Quare se ipse saepe revocabat et res traditas retractabat. Hoc erat documento, quantam animi contentio et fortitudo vim exercere possit in corpore, si modo illa velimus uti; quod *Kantius* alicubi egregie docuit. Nihilominus tamen statuebam, talem doctrinam multum frugis afferre non posse, et huic malo mature esse occurrendum. Quare, an-

nuente Viro amplissimo, Joanne Theodorico *Cordesio*, Civitatis nostrae Senatore, et Curatore Scholarum primario, ipsum a lectionibus vacare iubebam, vicariumque ipsi substituendum curabam, virum eundem praeclarum, qui in locum Brodhagenii cum magno rei scholasticae nostrae emolumento iam successit. Jam vero aegrotantis tutelam amici eius liberalissime suscipiebant; e quibus duos urbis nostrae cives primarios et de republica nostra meritissimos nominare liceat, *Claes Bartels*, Quindecimvirorum, sive Tribunorum plebis collegio adscriptum, et *Joannem Schubackium*, negotiorum et rerum Lusitanarum Procuratorem Regium, senes venerandos. Horum beneficio Brodhagenius per tempus vacationis a munere iter in regionem Megalopolitanam suscepit, praecipue ut baiis Dobberanensibus uteretur. Et habuit harum usus hanc vim, ut corporis vires corroborarentur: ad mentem vero haec valetudinis recuperatio nihil magnopere effecit; quippe quae nimium videretur perturbata et concussa, vigoreque adeo suo et quasi lumine omnino cassa. Itaque ex itinere redux familiae suae perinde atque antea erat molestus, imo interdum adeo periculosus et propter mentis delirium multo saepius rediens, et propter iracundiam multo vehementius de rebus saepe minutis exardescentem. Huc accessit, quod opinionis aliquis error se menti eius ita infigere inciperet, ut omnia cogitata, etiam ab illa alienissima, ad eam referret. Nempe falso sibi persuaserat de seditione violenta a plebe Hamburgensi metuenda, quae seminibus suis latenter gliscens mox esset proruptura. Quae quum ita essent, hanc viri optimi familiaeque eius miserandam sortem dolentes iidem illi amici, supra laudati, ut nihil remedii ad malum istud tollendum inexpertum relinquerent, Brodhagenium curae fideique *Timmermanni*, medici Itzehoensis, qui fama celebrabatur in sanandis eiusmodi aegris et mente captis esse peritissimus, tradendum decreverunt, sumtus eam in rem faciendos e re sua et amicorum saltem per anni spatium suppeditaturi. Traditus igitur est huic, mense Novembri anni 1803, spe convalescentiae nondum abiecta. Et initio quidem secessus illius, hoc est, primis sex mensibus mens sana nostro interdum rediit; sed, pro dolor! tum lucidis intervallis suis non est gavisus, sed totam calamitatem suam et miserandam sortem penitus animo sensit, doloremque lacrimis uberrimis profudit. Sed per totum fere annum ibi mente ita

captus fuit, ut eam nunquam reciperet; neque Timmermannus omni arte et cura, quam assiduam adhibuit, quidquam profecit. Gratia tamen huic habenda, quod per ipsos octodecim menses, quibus eum hospitio suo et convictu fovit, omnes molestias, quas iniquitas et aerumnae amentis et furiosi creant, constanter pertulerit, neque ab officio vel medici vel tutoris ulla ex parte cessaverit. Huic tantae boni Brodhagenii miseriae ut mors placida mox finem faceret, nobis omnibus, qui ipsi bene cupiebamus, optandum magis, quam, ne faceret, metuendum videbatur. Atque eventus quoque optato nostro respondit. Nam quum vix per duo dies lecto affixum tenuisset imbecillitas et virium defectus; d. 25 Maii anni 1805 placida morte exspiravit, luctuosa illa scholae nostrae utrique, reipublicae ac suis!

Nimirum reliquit praeter coniugem viduam, de morte mariti praematura dolentem, quatuor liberos lugentes ex hac susceptos, duo filios et duas filias. Nam tertius filius, *Hans Jacobus*, prius iuniore, nempe a. 1792, natus, tertio a partu anno e vita discessit. Ex his autem, qui adhuc in vivis sunt, filius natu maior, *Joannes Georgius*, iam annum aetatis agens decimum octavum, patre adhuc vivente artem saccharum coquendi et parandi discere coeperat, sed patre mortuo, consilio mutato, *Elstero*, viro honestissimo, navis rotundae (mercatoriae) praefecto, in curam et tutelam traditus, Teneriffam itinere maritimo profectus est, custodia tabernaculi navis ipsi demandata. Quum ex hoc itinere salvus ad suos rediisset, artem scriniariam discere coepit; parentis mortui voluntati in eo satisfaciens, qui opificum industriae fructuosae et vitae securae et innocenti insigniter favens, ut alter uter filius ad artem aliquam manuariam factitandam animum appelleret, semper optaverat. Filiam quoque utramque, virgines lectissimas, egregiis ingenii animique virtutibus a natura ornatas, iam adultas reliquit, quippe alteram *Sophiam Mariam Amaliam* primo connubii parentum anno natam (1787), alteram *Carolinam Elisabetham*, tribus annis hac iuniorem. Hae, quum matri carissimae in domo administranda adsint, artibusque femineis, quas probe callent, exercendis, altera quoque, *Carolina*, in schola puellari erudiendo, rem familiarem iuvent, luctum eius solantur. Neque silentio praetermittendum, maiorem natu, *Amaliam*, artis delineandi esse ultra mediocritatem

peritam, ad quam ingenio eleganti, ipsis doctoribus eius excellentibus, *Hardtorffio* et *Tischbeinio*, arbitris, a natura est instructa. Quare optandum utique esset, ut via ipsi et aditus ad uberiorem illius artis cognitionem et usum, atque ad opera summorum in omni genere pictorum spectanda imitandaque fautorum liberalitate patefieret. Sed coërcenda sunt et moderanda optata et petita in ea civitate, in qua ceteroquin tot rebus laborantibus est succurrendum, tot malis medendum, tot hominum inopia adiuvanda; quod fieri sine magna et larga multorum liberalitate non potest. Quare tanto magis praedicanda est Collegii nostri,*) quod a summis praefecturis n[illegible]a nomen habet, insignis benignitas, qua familiae huic orbae sexcentarum marcarum donativum annuum ex aerario suo in quadriennium expendendum nuper decrevit. Hanc benignitatem singulari liberalitate sua superarunt etiam duo Senatores civitatis nostrae amplissimi, *Joannes Gabe* et *Claus Henricus Sonntag*, et tres cives aestumatissimi, *Joannes Schuback*, idem, quem supra laudavimus, *Joannes Theodoricus Luis*, et *Daniel Poppe*, qui Regi Borussiarum est a sanctioribus consiliis commercii. Horum enim quisque centum marcarum stipendium annuum per plures annos Brodhageniae e re sua se erogaturum dextra fideque data promisit. Macti virtute este, Senatores et Cives egregii! Nam indiget hac ope inprimis parvulus filius, *Fridericus Hans Henricus*, quem pater octennem reliquit, qui propter ingenii bonitatem singulari cura dignus est. Quare quidquid ad eum bene instituendum formandumque conferre nosmetipsi poterimus, si nostrae curae fideique aliquando fuerit commissus, lubentissime et propter patrem, quem dileximus, et propter filium, de quo bene speramus, conferemus.**)

---

*) Huic Collegio per annum luctus adscripti erant cives praeclari hi: *Henr. Kühl*, *Henr. Ernestus Gustav. Flindt*, *Jo. Frider. Mohn*, *Jo. Ernest. Frider. Westphalen*, *Car. Guil. Pistorius* et *Jac. Henr. Jencquel.*

**) Non satis quidem praedicari potest privatorum in nostra civitate liberalitas, qua plerumque viduarum orborumque rebus angustis tam largiter consulunt; sed multis tamen de caussis, quas hic afferre nihil attinet, praestaret publica illorum cura. Cuius spe ut tandem aliquando uxores et liberi saltem magistrorum scholae exhilarentur, a summe venerando Scholarcharum Consilio sapienter provisum est.

Jam perlustrata vita Collegae carissimi, restat, ut tum de eius *ingenio, eruditione, docendique ratione*, tum de *animo, moribus vitaeque genere* pauca dicamus, ut qualem Mathematicum, qualem doctorem, qualem hominem civitas nostra in eo omiserit, appareat.

Ingenii praestabat bonitate, sollertia et celeritate Brodhagenius. Ea tamen vis, quae cum sincera rerum ipsarum oblectatione, usus earum secura et immemor, atque adeo cum oblectatione quadam sui ipsius in abditis rerum theoreticarum scrutandis constanter versatur, deesse ipsi videbatur: quippe sive natura factus, sive usu conformatus ad practicas, quas dicunt, partes etiam in theoria altiore semper deprehendendas et sibi tollendas. Imaginandi facultas erat acris et vivida, saepe tamen, etiam dum valebat, nimis contenta et immodica et mentis legibus non satis obtemperans. Memoriae autem vi gaudebat paene infinita. Haec enim non tantum innumeras res, quas alii in scriptis maxime et loculis reconditas servant, ceperat et retinuerat, sed facile etiam et promte quovis tempore et loco reddebat. Ad quas mentis dotes quum studium acerrimum accederet, quo ab isto potissimum tempore exarsit, quo in Büschii familiaritatem se insinuaverat; mirandum profecto non est, eum non tantum omnem Mathesin, sed Physicen quoque, Chemiam et Technologiam studio suo comprehendisse et tantam tamque amplam in iis artibus sibi comparasse eruditionem, ut omnem earum campum perlustrasse, indeque optimos quosque et publice utilissimos flores decerpsisse videretur. Quare et omnia noviter in his literis ubivis terrarum inventa investigabat et examinabat. Haec eruditio in Brodhagenio tanto maior exsistere poterat, quo arctius se finibus illarum literarum contineret, ab ineunte scilicet aetate, ut supra diximus, non institutus iis artibus, quae ab aliis, qui pueri et iuvenes eas tractarunt, quamvis virili aetate ad alia doctrinarum genera transierint, adeo non negliguntur, ut, amoenitatis potius earum et blandimentorum memores, interdum pristino amore incalescant et ad digrediendum exspatiandumque in illorum quasi laeta vireta permoveantur. Quare neque oratio eius et doctrina, neque mores eo venustatis et elegantiae colore imbuti erant, quem studiosi bonarum literarum ex his fere trahere reperiuntur.

Sed nihilominus docendi eius ratio erat egregia. Erat haec ita comparata, ut omnia ad usum rerum et intelligentiam auditorum accommodate traderet. Itaque saepe mirati sunt eum ipsi literarum periti et idonei existimatores, quum in lectionibus Eimbeckianis, quas supra commemoravi, tantam et tam variam auditorum colluviem, ex magistris officinarum, adiutoribus eorum tironibusque artium et opificiorum, mercatoribus denique varii generis et cultus, etiam doctis quibusdam constantem, in summa attentione animi et alto silentio sermonibus suis detinentem audirent. Sed penitus cognita habebat imperitae multitudinis studia, mores, opinionum errores, cognitionis modum et rationem, virtutes et vitia; quam cognitionem usu et conversatione et familiari colloquutione erat assequutus. Hinc facultatem lucratus erat hanc, ut non tantum se facile ad eorum mentem accommodaret eamque quasi indueret, sed in animum quoque eorum, accedente praesertim sui animi aperti simplicitate et candore, se insinuaret, eosque totos sibi devinciret. Doctior et magis composita erat eius oratio in lectionibus, quas corona iuvenum studiosorum stipatus habebat. Sed in eadem perspicuitatis et promtae facilitatis commendationem copiae et ubertatis laude cumulabat. Interdum doctrina eius etiam iucunda erat et salibus conspersa. Haec disciplina ei tanto felicius procedebat, quod erat oratio, donec mente et lingua vigebat, profluens et sine haesitatione labens, et quod nihil de scripto recitabat, sed omnia ex memoriae largissima penu tradebat. Qua in re profecto memoriae per imbecillitatem senilis aetatis aut valetudinis improsperae labenti ac deficienti parum caverat, ut eventus quoque docuit. Addere liceat, illam viri doctissimi facilitatem ac promtitudinem, qua quolibet tempore et loco perspicue et docte de rebus e literis suis petitis disserere poterat, nosmet ipsos saepe miratos esse, quum in circulis, quod ipsi gratissimum videbatur, eruditionis suae loculos aperiret et aliquid in praesentium utilitatem conferret: quod tamen non faciebat, nisi rogatus de aliqua re explicanda et per sermonis opportunitatem, ne splendidis et parum doctis hominibus ineptus videretur. Spectat quis subtilitatem docendi et rationem, omnes partes et res diligenter describentem et apte nectentem, initio quidem munerum publicorum susceptorum hanc in se quodammodo desiderari passus esse dicitur; quod mirum videri non debet, quum

studia humanitatis et stili exercitatio deessent; sed diuturnitate usus et diligentiae oratio eius etiam ad hanc virtutem magis magisque est attemperata, ut neque ab hac vituperii quidquam ab attentioribus certe experiretur.

Haec de Brodhagenio *doctore* dicenda habuimus. De *scriptore* audiamus magnum Germaniae geometram iudicantem, qui de se severius, ‹ ˜ aliis lenius sentit, ut solent magni in suo genere viri, qui fines artis suae emensi in interiores eius recessus penetrarunt et omnia obstacula et difficultates excellentiae alicuius adipiscendae cognoverunt. *Pfaffius* igitur, Professor Helmstadiensis, qui amicitiae erga me singulari etiam hoc dedit, ut iudicium suum de Brodhagenio, librorum auctore, mecum communicaret, ita statuit:*) „Brodhagenius Vester, „quem et ego carum habui, est ex eo scriptorum genere magni aestimando, qui „ad rerum ex arte sua communiter utilium scientiam explicandam et divulgan„dam ingenio et natura feruntur. Quare is laudem sibi non inde petiisse putan„dus est, quod disciplinarum mathematicarum campum novis accessionibus „augeret; quod, quum fortassis in Mathesi difficilius, quam in aliis doctrinis, „contingat, nisi a paucis, iisque excellentibus ingeniis obtineri non potest. „Cognitam quidem habuisse videtur Mathesin altiorem,**) neque tamen ei in „scriptis tractandae insudavit. Omnino enim scriptis eius caussam originem„que maxime dederunt loci, temporis, munerumque rationes, quibus maximo „cum studio et assiduitate consulebat. Atque huius indefessae industriae, omnes „variorum munerum partes explentis, tanquam fructus spectandi sunt eius „libri. Habebat prae multis scriptoribus aliis, inprimis mathematicis, hoc com„modi, quod libri eius per tot hominum genera dissiparentur, quot institutioni„bus eius interessent. Praecipuam commendationem habent a perspicuitate,

---

*) Non vereor, ne germanica amici latina faciendo, a mente eius uspiam aberraverim. Ceterum iudicia quoque, quae infra indicibus librorum Brodhagenii subieci, *Pfaffii* sunt.

**) Mihi certe aliquando *Brodhagenius* affirmabat, se in Mathesi altiore multo plus operae et studii collocasse, quam *Büschium*. Haec ingenua professio, amico soli, sine arbitris, facta, a nemine recte poterit iactantiae et vanitatis argui, a qua noster erat alienissimus. *Gurlitt.*

„ descriptione, ordine et delectu rerum apto, consilioque scribentis accommo-
„ dato. Hoc consilium etsi praecipue vitae usum, non subtiliorem meditatio-
„ nem et interiorem reconditarum rerum disquisitionem spectaret; tamen in eius
„ scriptis doctrina et ratio accuratior non est neglecta, sed pleraque omnia cum
„ caussis suis et argumentis sunt explicata. Quapropter hac ex parte minus in-
„ telligentiae vulgi accommodata sunt et plura e doctrinae mathematicae penetra-
„ libus petita continent, quam libri *Büschii*, doctoris eius praeclari, cum quo
„ ceteroquin ille neque ingenio philosophico, neque eruditione multarum alia-
„ rum literarum, inprimisque humanitatis artium erat comparandus." Hacte-
nus *Pfaffius*.

Mores viri optimi commendationem ab urbanitate quidem et suavitate non habebant, neque per educationis rationem habere poterant; sed simplicitate tamen sua, propemodum dixerim rustica, et integerrima fide et sanctitate probabantur, ut omnium, quibus innotesceret, benevolentiam statim acquireret et constanter retineret. Quippe moribus et factis omnibus exprimebat studium recti iustique tenax, omninoque animum probum, candidum et apertum, cui nihil inerat doli aut fraudis, nihil insidiarum aut calumniae, nihil obscuri aut tecti, qui nunquam aliud pectore premeret, aliud ore promeret. Veritatis erat admodum studiosus et libertatis sentiendi defensor. Et quanquam pleraque ei deessent, quae artes liberales, praeter Mathesin, reliquae in ingenio, animo et moribus nobilitandis, atque in vita ingenue exhilaranda efficiunt; tamen erat ab ea labe liber, quam literae fere exstirpant, superstitionem dico; quippe in ea civitate educatus et in ea domo excultus, quae libertati sentiendi et rectae rationi eximie favebant. Quare ingenue de rebus et hominibus quibuscunque sententiam suam pronuntiabat, securus invidiae et odii. Nec tamen memini, invidia aut odio alicuius eum unquam peti. Quin imo erat in paucis doctis et in suo genere excellentibus viris, qui nullum inimicum aut aemulum, invidiae et obtrectationis plenum, sed omnes notos sibi bene cupientes, plerosque adeo amicos haberent; quod utique in magna felicitatis parte poni debet. Hanc autem felicitatem Brodhagenius partim animi candori et masculae simplicitati et certae fidei acceptam referebat, partim, quod inprimis commemorari debet, iuvandi

studio, quo erga omnes, qui eius consilium aut opem ullo modo exposcerent, ferebatur eximio et prorsus singulari. His virtutibus accedebat modestia, comitas, et hilaritas iucunda. Huic inprimis in conversatione et convictu amicorum ad animum relaxandum liberrime indulgebat, quum per plures dies sine ulla intermissione et omnibus viribus contentis laboraverat. Inopiae et casuum humanorum patientem fuisse, et in adversa adeo fortuna ad hilaritatem aeque atque ad laboris contentionem semper compositum, ex omni eius vita constat. Ut brevi ergo complectamur; erat vir maxime industrius, qui mirum quantum laboris exhausit, erat idem doctor utilissimus et in suo genere singularis, amicus fidissimus, maritus et pater, coniugis et liberorum, donec sanae erat mentis, amantissimus, homo summae probitatis, candoris et simplicitatis. Iustissimum igitur nos omnes tenet tam cari capitis desiderium!

Haec Viri praestantissimi studia flagrantissima, hanc vitae actionem praeclaram, has animi virtutes eximias imitamini, Cives carissimi. Ita memoriam doctoris vestri dilectissimi sancte servabitis et optime recoletis!

Indices librorum et commentationum Brodhagenii.

1) *Kurze Uebersicht und Beurtheilung des französischen Münzwesens* bei der lezten Veränderung der Proportion des Goldes zum Silber in Rücksicht auf Deutschland. Haec commentatio inserta est Bibliothecae Büschii et Ebelingii in usum mercatorum comparatae Vol. 2, fascic. 2, p. 177-204; edita 1786.

2) *Versuch einer Dynamik*, zum Gebrauche derienigen, die keine höhere Mathematik verstehen. Hamburg 1787. gr. 8. mit Kupfern. — Censuras vide Allg. Lit. Zeit. Jahrg. 1788. 1 B. S. 681. Anhang zum 53 bis 86sten Bande der allgem. deutschen Bibliothek, Bd. I, S. 589. Oberdeutsche Lit. Zeit. Jahrg. 1788. 2r B. S. 1102. Götting. gel. Anzeigen Jahrg. 1788. B. I. S. 77.

Hic liber, qui ad supplendam Mechanicam Büschii scriptus est, res continet, quae alias non nisi ope Mathesis altioris tractari solent, neque adeo in vulgus nota sunt, accommodate ad intelligentiam vulgi studiosorum explicatas. Laudabile quidem est Brodhagenii conamen, quod in elaborando isto libello suo ingenio uti, quam aliorum de eadem re scriptorum dictata exscribere maluerit; sed infitiari tamen nemo rei peritus potest, demonstrationem enuntiatorum non ubique reperiri ad normam subtilitatis et religionis mathematicae factam. In genere dicendi a vitiis non puro nemo aequus iudex offendet, qui Brodhagenium a puero cum omnis generis inopia conflictatum esse noverit.

3) *Darstellung und Auseinandersezung des deutschen Münzwesens* von 1559 an, oder seit Einführung des Reichsfusses bis auf unsere Zeiten. Hic libellus exstat in promtuarii historici (Histor. Portefeuille), fasciculo 3. 1787.

4) *Beniamin Franklin über das Rauchen der Kamine und Schornsteine*, in einem Schreiben an Dr. Ingenhouss in Wien. Aus dem Englischen übersezt und mit Anmerkungen versehen. Hamburg 1788. 8. — Censurae de hoc libro reperiuntur: Allgem. Liter. Zeit. Jahrg. 1788. 3r B. S. 197. Allgem. deutsche Bibliothek Band 99. S. 161. Götting. gel. Anz. Jahrg. 1788. 2r Bd. S. 900.

5) Iuncta cura cum *C. D. Ebelingio* editionem novam emendatiorem et auctiorem paravit libri, qui inscribitur: *G. C. Bohns wolerfahrner Kaufmann.* Hamburgi et Kiliae 1788. 8 mai. — Censuras habes: Allg. Lit. Zeit. Jahrg. 1789. 4r Bd. S. 137. Allg. deutsche Bibl. Bd. 90. S. 564. Tübinger gel. Zeit. Jahrg. 1790. S. 388. Beckmanns Biblioth. 16r Bd. S. 311.

6) *Handbuch der theoretischen und praktischen Arithmetik*, zum Gebrauch derienigen, die sich der Handlung widmen wollen. Hamburg 1790. 8. — Censurae exstant: Allg. Lit. Zeit. Jahrg. 1792. 2r Bd. S. 498. Allgem. deutsche Bibl. 102r Bd. S. 294. Götting. gel. Anzeigen Jahrg. 1790. 3r Bd. S. 1814.

Eminet prae multis aliis Logisticae (Arithmeticae practicae) libris hic doctrina ad artis formulam redacta et praeceptorum demonstratione ex rationibus ducta. Pauca etiam de calculo literali sive, ut cum Cel. *Lorenzio*, amico meo, dicam, de Algorithmo specioso, et de usu Logarithmorum, tradidit, sed sub finem tantum, appendicis loco: nam nullam prorsus rationem horum habuit in prioribus libri partibus. Maxima tamen libri pars continet eas res, quae mercatori tironi recte erudiendo utiles sunt et necessariae. Et harum quidem maximam partem Büschii sui institutioni debebat et debere se grato animo ipse fatetur. Huic sane tam multa accepta refert in rebus artis suae practicis, quam Kaestnero in rebus contemplativis; ex cuius institutione et scriptis multa egregie in suam rem vertit.

7) *Abhandlung von den verschiedenen bisher bekannten Methoden zur Bestimmung der geographischen Länge und Breite*, besonders in Rücksicht des Seemanns. Hamburg 1791. gr. 4. Hic libellus et separatim editus est, et primum fasciculum scriptorum societatis Hamburgensis ad promovendas artes et literas coniunctae conficit, qui et ipse editus est 1791. — Censuerunt de hoc libro: Allgem. Lit. Zeit. Jahrg. 1792. 1r Bd. S. 191. Allg. deutsche Bibl. 114r Bd. S. 141.

Tractat hic liber res non tantum nautae necessarias, sed Astronomiae quoque et Geographiae studioso perquam utiles. Hac opera Brodhagenius apud omnes harum rerum intelligentes magnam demeruit gratiam, quod eae res antea libris vernacula lingua scriptis vel omnino non, vel nondum tam perspicue et apte erant expositae.

8) *Secondat's Holztabellen* zu leichter Berechnung des viereckigen und runden Holzes nach Quadratfuss. Nach dem franz. Original verbessert, nebst einer Vorrede. Hamburg 1792. gr. 8. — Censuram consule in: Oberdeutsche Lit. Zeit. Jahrg. 1792. 2r Bd. S. 568.

9) *Anleitung zum gemeinnüzigen Unterricht für Handwerker, Künstler und Fabrikanten* über die praktischsten Grundsäze mathematischer, physischer, chemischer und technologischer Kenntnisse. Erstes Bändchen, mit Kupfern. Hamburg 1792. Zweites Bändchen 1793. Drittes Bändchen 1794. 8. Huius libri editio altera in multis retractata et reficta prodiit ita inscripta: *Gemeinnüzige Encyclopädie für Handwerker, Künstler und Fabrikanten.* Tom. I. Hamb. 1798. Tomi secundi sectio prima et secunda, ibid. 1800. 8. V. Allg. Lit. Zeit. 1795. Bd. 1. S. 262. Neue allgem. deutsche Bibl. Bd. 22. St. 1. S. 124.

Hic est liber omnium Brodhagenii copiosissimus et maximus. Consilium eius scribendi primo erat, ut artifices et βαναυσοι, operam dantes eius lectionibus in domo Eimbeckia, ore tradita ad ductum illius libri facilius intelligere et accuratius repetere possent. In altera editione, aucta in multis locis et ad meliorem rerum ordinem et nexum comparata, omnem rerum silvam in quinque sectiones descripsit. Harum tribus prioribus elementa Arithmeticae vulgaris et Geometriae, sive Mathesis purae, tradidit, adiuncta Algebra, copiose trac-

tata, et multis ad perspicuitatem exemplis instructa. Mathesis sublimior ne subsequeretur, mors impedivit. Sectiones duae posteriores, quanquam *Technologiae* nomine inscriptae, complectuntur tamen praeter hanc eas res, e Physica, Chemia et Mechanica petitas, quae sunt Technologiae subsidiariae. Quinta praecipue sectio, in qua maxime duces sequitur Kaestnerum et Büschium, ea tradit, quae nomine Mechanicae partis Mathesis applicatae comprehenduntur. His addidit Mechanicam practicam, sive technicam. Quo additamento inprimis propterea laudem meruit Brodhagenius, quod utilissimas machinas breviter et perspicue in eo descripsit, adiuncta institutione plana et facili ad intelligendum de harum vi et momentis ad calculos revocandis. Haec enim institutio, quae in plerisque artis formulis compendiariis deest, fere non reperitur nisi in maioribus operibus, ibique reconditioris plerumque et abstrusioris theoriae fundamentis superstructa.

10) *Technologisches Bilderbuch* (Partic. 1 et 2). Mit Kupfern. Hamburg 1797. 8.

11) *Anleitung zur Algebra.* Hamburg 1800. 8.

12) *J. G. Büsch Versuch einer Mathematik* zum Nuzen und Vergnügen des bürgerlichen Lebens. Vierte sehr vermehrte und verbesserte Ausgabe. Vierten Bandes zweiter Theil, *Optik, Dioptrik und Katoptrik enthaltend.* Nach seinem Tode mit Zusäzen und Anmerkungen herausgegeben von P. H. C. *Brodhagen.* Mit 8 Kupfertafeln. Hamburgi apud Hoffmannum, 1802. 8.

Brodhagenii meritum de hoc libro est in eo, quod in libro Büschii manu scripto lacunas plures expleverit, figuras lineis adumbratas perfecerit, et quaedam a recentioribus disputata Büschii assertis obiecerit. Hoc inprimis de Euleriana, quam Büschius probabat, lucis theoria intelligendum est, ad quam Brodhagenius ea monuit, quae recentiores naturae examinatores attulerunt in contrariam partem vel graviora vel aeque gravia.

13) In libro *Büschingii:* Vorbereitung zur Europäischen Länder- und Staatenkunde, sechste Auflage, umgearbeitet von *Norrmann,* Hamburgi ap. Bohnium 1802. 8, in hoc igitur libro, ut celeberrimus editor in praefatione monuit, ea Brodhagenium auctorem habent, quae ad mathematicam terrarum notitiam, atque ad Technologiam et cognitionem fructuum terrae artificiorumque in singulis regionibus praecipuorum spectant.

14) In *Sylloge actorum et scriptorum societatis civium optimorum* ad promovendas artes et opificia iunctorum, quorum Volumina sex prodierunt Hamburgi apud Bohnium 1792-1801, multae exstant Brodhagenii nostri commentatiunculae, quarum potiores indicasse sufficiat.

a) Beiträge zur Geschichte der Seidenmanufacturen in Hamburg. Vol. 1, p. 307 sqq.

b) Nachrichten von dem Abschwefeln der Steinkohlen. Ibid. p. 315 sqq.

c) Nachrichten vom Gärben des Leders in Torfmooren. Ibid. p. 345 sqq.

d) Abhandlung über die Zubereitung des Fischbeins. Ibid. Vol. 2, p. 319 sqq.

e) Ueber die ehemalige Verfassung und den gegenwärtigen Zustand der Manufacturen und Fabriken in Hamburg. Ibid. Vol. 3, p. 143 sqq. 156 sqq.

f) Beiträge zur Geschichte der Zünfte und Innungen. Ibid. p. 179.

g) Ueber die Verhütung von Feuersgefahr in Fabriken. Ibid. Vol. 4, p. 421 sqq.

Praetereà in iisdem societatis illius actis insertae sunt sententiae Brodhagenii de rebus variis latae, commentationes, quum esset in delectis ad aliquam rem tractandam aut ordinandam, scriptae (Committée-Arbeiten), significationes et relationes de scriptis in concertationibus propositis, quae annotationibus et additamentis instruxit, consilia denique communiter utilia et rei nostrae et loco apta.

15) De *Calendariis*, quae Brodhagenius per plures annos confecit, et de *meteorologicis observationibus*, quas in ephemeridibus Hamburgenss. publicavit, iam dixi in narratione de eius vita. Passim etiam *aliae eius commentatiunculae* reperiuntur in iisdem ephemeridibus, quae inscribuntur: Hamburg. Addrefscomtoir-Nachrichten.

16) Denique in prioribus Voluminibus commentariorum de literatura novitia universa, qui olim Jenae evulgabantur, nunc Halis Magdeburgicis prodeunt, *Censurae Brodhagenii de libris novis* reperiuntur.

Videtis, Cives, scriptorem hunc dedisse non pauca; plura parasse atque daturum fuisse certum est, nisi telam abrumpere coëgisset is,

Quem penes arbitrium est vitae mortisque potestas.

Scripsi Hamburgi mense Dec. extremo anni 1805.

Appendix numerando percensens Professores Mathesis in Gymnasio Hamburgensi ab a. 1613 usque ad a. 1800.*)

Recte ac sapienter fecit olim Senatus populusque Hamburgensis, quod in Gymnasio nostro primum constituendo unum ex doctoribus Mathesin profiteri eumque pari cum ceteris professoribus loco et numero esse haberique iusserit. Laudabilius etiam hoc institutum videri debet ea aetate, qua paucissimi scholarum conditores eandem sapientiam declarasse reperiuntur. Horum enim plerique Mathematico inter praeceptores vel nullum concedebant locum, vel eundem, quem artifici saltandi et armorum tractandorum magistro, assignabant, hoc est, extremum non optima, qua ceteri praeceptores gaudebant, conditione et iure. **) Agnovit illam nostrorum maiorum sapientiam *Lambecius* in program. in promot. D. Jo. Mülleri, apud Fabric. memoriae Hamburg. Vol. 3, p. 124. Ceterum in eo quoque praedicanda est Gymnasii nostri conditorum prudentia, quod eum doctorem, qui Mathesin traderet, Physicam quoque profiteri voluerint; quod quidem ab iis institutum prima Gymnasii aetate servatum est. Nam

1) *Petrus Laurembergius*, Phil. et Med. Doctor, electus est Professor Mathesis et Physicae d. 3 Aug. 1613. Hoc munere se abdicavit a. 1624 atque in patriam urbem, Rostochium, Professor Poëseos in academia illa constitutus, rediit. Natus ibi erat d. 26 Aug. 1585, ibidemque mortuus est d. 13 Mart. 1639. — De vita et scriptis eius v. Jo. *Mollerus* in Cimbria literata To. 2, p. 455-60.

2) Post illius abitum *Zacharias Schefterus*, Cygneus, Professor doctrinae morum, etiam lectiones mathematicas et physicas habendas suscepit, neque tamen diu habuit, quippe iam d. 3 Mart. 1626 anno aetatis quinquagesimo vita defunctus. — v. Fabric. memor. Hamb. Vol. 2, p. 1073, et Molleri Cimbria lit. To. 2, p. 769. 70. ***)

---

*) Pleraque in hac enumeratione professorum Gymnasii sumta sunt *ex actis Gymnasii* manu Rectorum annuorum scriptis; alia *ex Fabricii memoriis Hamburg.* petii; quaedam denique pro humanitate sua et erga me amicitia supplevit *Arnoldus Schubackius*, V. D. — *Acta Gymnasii scripta* incipiunt ab a. 1675.

**) Sic Mathesis doctor in scholis Saxoniae electoralibus, ceteroquin laude dignis, per omnem vitam ultimum magistrorum locum tenet. Quae res praeter alias caussas fecit, ut ars mathematica in illis scholis saepenumero contemta frigeret. Hanc maculam cum quibusdam aliis, nisi forsan iam eluerit, haud dubie eluet *Reinhardus*, vir ab ineptiis scholasticis abhorrens.

***) Fuit *Schefterus* et Gymnasii et Joannei Rector perpetuus, ut post eum *Huswedelius* et *Jungius*. Nam munus Rectoris etiam in Gymnasio ab a. 1620 usque ad a. 1675 ab uno professorum perpetuo administratum est. v. Fabric. mem. Hamb. Vol. 2, p. 1067-68 coll. p. 1121.

Quis in Gymnasio nostro ab a. 1626 usque ad a. 1629 Mathesis fuerit professor, nuspiam reperi, et ne ab *Arnoldo Schubackio* quidem, viro doctissimo et literaturae Hamburgensis omnium peritissimo, comperire potui, quum bibliothecae eius, locupletissimo omnium ad rem publicam et literariam Hamburgensem pertinentium scriptorum promtuario, catalogi lectionum, illis annis editi, desint. — Hoc autem constat, professionem Mathesis et Physicae anno 1629 esse seiunctam, ita ut Joachimus *Jungius*, V. Cel., ad physica docenda,

3) *Joannes Adolphus Tassius* autem ad mathemata tradenda d. 29 Februar. illius anni publice excitaretur. Natus is Voerdae in ducatu Bremensi 1585, mortuus d. 4 Jan. 1654. Bibliothecae suae heredem scripsit bibliothecam nostram publicam; gymnasio autem asservanda tradidit morti proximus compendia mathematicarum disciplinarum manu scripta, quae elaboraverat, ea lege, ut ab aliquo illarum doctrinarum studioso, vel professore, qui ipsi successurus esset, ederentur. — Hunc *Lambecius*, Gymnasii Rector perpetuus, oratione publica laudare decreverat; sed reiectus cum sua laudatione, hic terrarum insolita, silere publice iubebatur. Prima huius orationis pars exstat apud Fabric. l. d. Vol. 3, p. 66-74. — De meritis et scriptis *Tassii* v. *Molleri* Cimbria lit. To. 2, p. 884 sq.

4) *Michaël Kirstenius*, natus Bernae, sive Beronae, oppido Moraviae d. 25 Jan. 1620, Philos. et Med. Doctor. Ad Mathematicam in Gymnasio profitendam constitutus d. 2 Nov. 1655: quod munus adiit d. 22 Nov. oratione *de usu disciplinarum mathematicarum in republica*. Postea a. 1660 munus hoc cum professione physicae et poëticae, suffragantibus rei scholasticae curatoribus, commutavit. *) Mortuus d. 2 Mart. 1678. Memoria eius, a *Vincentio Placcio* literis consignata, reperitur in *Fabricii* mem. Hamb. Vol. 3, p. 441-60. De vita, meritis et scriptis eius consule etiam *Molleri* Cimbr. lit. To. 2, p. 412-17, et *Wilkens* Hamburg. Ehrentempel, p. 492-95.

Illa aetate alius quoque Mathematicus et Geodaeta in hac urbe vixit, *Georgius Schumacherus*, Hamburgensis, bibliothecae publicae praefectus. Vidi hoc ex brevi laudatione eius, ab amico, Mich. Kirstenio, scripta, apud Fabric. l. d. Vol. 4, p. 409. 10. Mortuum esse 1657 d. 21 Octobr., aetatis 41, monet Fabric. l. d. Vol. 2, p. 1119.

---

*) *Kirstenius* fuit ultimus Rector Gymnasii perpetuus, neque tamen donec vixit, sed tantum ab a. 1667 usque ad a. 1675. Nam huius anni d. 10 Febr., instauratione Gymnasii decreta, statutum est, ut Rectoris munus per vices a professoribus annuatim obiretur. v. Fabric. mem. Hamb. Vol. 2, p. 1068. Quo facto Kirstenius a. 1675 primus Rector annuus creatus est. Sed iam anno insequente ipsum Collegium professorium regimen Gymnasii uni deferendum esse censebat, literis petitoriis ad obtinendum hoc ad Scholarcharum Consilium datis. *Vincentius Placcius*, Rector a. 1677, in actis Gymnasii manu scriptis To. 1, p. 30 tradit, hoc petitum "*rationibus non contemnendis nixum, ab ipsis illis, qui rectoratum pro*"*tempore ambulatorium fecissent, esse approbatum;*" et ibidem p. 27 Senatus Consulto scholarchis demandatum esse: "*prospicerent de rectoratu perpetuo iuxta petitionem professorii collegii scriptam restituendo.*" Sed, ut fit, re dilata, nihil profecerunt rogatores.

5) *Joannes Müllerus*, Juris Doctor, Jürgen Mülleri, viri senatorii filius, Hamburgensis. Is praeclarus Jungii Tassiique discipulus, in locum Kirstenii suffectus est d. 17 Febr. 1660. Oratione inaugurali d. 15 Mart. disseruit *de scientiarum mathematicarum laudibus et in vita humana necessitate*. Programma, quo hanc orationem *Lambecius*, Rector, indixit, est in Fabric. mem. Hamb. editum Vol. 3, p. 121-26. Vita excessit *Müllerus* d. 24 Maii 1671. Memoriam eius nullus professorum publice scripsit. v. Molleri Cimbria liter. To. 1, p. 450.

Hoc mortuo cathedra Mathematica nulli demandata esse videtur usque ad Gymnasii instaurationem, quae facta 1675. v. Fabric. mem. Hamb. Vol. 2, p. 1077 sqq. Tum

6) *Henrico Sivero*, Hamburgensi d. 11 Jan. 1675 mathematum doctrina commissa est, qui munus hoc auspicatus est d. 7 April. oratione, qua *de mathematicarum disciplinarum utilitatibus* disseruit. Natus est 1626; et d. 10 Jul. 1691 e vita discessit. Hic recepit in se editionem et publicam interpretationem librorum Mathesis elementarium a *Tassio* scriptorum. Igitur anno insequente edi curavit 1) *Tassii* doctrinam proportionum. 2) Photicam, sive Opticam. 3) Arithmeticam. 4) Trigonometriam. 5) Astronomiam sphaericam, et 6) Geodaesiam. Mox accessit 7) Geographia universalis 1681. 8) Chronologiam autem et Stereometriam Tassianam idem Sivers, ut ex Gymnasii actis vidi, iam quidem a. 1679 typis excudendas curare coepit, sed uterque liber cum sciagraphiis et praefationibus editoris prodiit demum 1691. Iam vero ipse quoque *Siverus* Geometriae empiricae definitiones et theoremata schematibus illustrata edidit a. 1680, et 1682 Staticam suam publicavit. Praeterea idem *Jungii* Phoronomicam ex schedis eius auctiorem edidit a. 1687; et ex scriptis Jungianis Geometriam eius empiricam, iam antea quater editam, urgente exemplarium defectu, cura sua auctiorem emendatioremque prodire iussit a. 1688. Narrationem de vita eius, a *Vincentio Placcio* scriptam, *Fabricius* memor. Hamb. inseruit Vol. 3, p. 529-538. Conf. *Molleri* Cimbria lit. To. 1, p. 634-36. Neque tamen ea, quae modo de scriptis Tassianis a Sivero editis tradidi, ex Mollero hausi, sed ex ipsis Gymnasii actis manu scriptis. — Exeunte luctus anno (d. 22 Dec. 1691) succedere Sivero iussus est

7) *Casparus Büssingius*, Neo-Coenobii in terris Megalopolitanis natus d. 9 Mart. 1658; Athenaei Bremensis cathedralis antea Conrector. In aditiali oratione d. 14 April. 1692 dixit *de artificio volandi et aliis artium*. Sed postquam per biennium hoc Mathematici munere functus erat, a. 1694 ab antistitibus aedis Michaëlitanae in ecclesiae Neapolitanae clerum fuit adscitus; postea vero pastor aedis cathedralis in locum *Fernhaberi* et lector Theologiae secundarius d. 13 Jul. 1699 constitutus est. Tandem Hamburgo discessit a. 1709, a Rege Daniae Praepositi et Superattendentis ecclesiarum et scholarum Oldenburgensium generalis

munere ornatus. Oldenburgi mortuus d. 20 Octobr. 1732. V. *Molleri* Cimbria lit. To. 2, p. 128-30; et *Thiess* Hamburg. Gelehrten-Lexicon To. 1, p. 75-78.

Quum munere professoris se abdicaret Büssingius, *Henricus Kummerfeldius* eius locum supplere est iussus d. 9 April. 1695. Hoc autem conditionem amplecti recusante,

8) *Balthasar Mentzerus*, (natus Rinteliae d. 21 Febr. 1651,) Professor mathematum Giessensis huc honorifice est vocatus. Electus a scholarcharum consilio d. 23 Nov. 1695, cathedram vacuefactam recepit d. 30 April. 1696 recitata oratione *de divinationibus astrologicis*. Mortuus est d. 8 Mart. 1727. Memoriam eius *Fabricius* ipse scripsit, et inseruit Memor. Hamb. Vol. 6, p. 494-508. — Huius locum, suffragiis scholarcharum d. 8 Nov. 1727 excitatus, occupavit

9) *Christophorus Henricus Dornemannus*, Verdae d. 27 Februar. 1682 natus, Henrici Dornemanni, postea ad aedem d. Nicolai Diaconi, filius. Quum eligeretur, erat iam egregia Mathematicae peritia et spectata dudum privatim huius artis docendae sollertia in hac urbe clarus. Adiit munus d. 3 Jun. 1728 oratione *de Mathematicae dignitate, usu et abusu* recitata. Rector Gymnasii obiit d. 25 Sept. 1753. Memoriam eius nullo, quod sciam, scripto professores prosequuti sunt. Quaedam in laudem eius dixerunt Hamburg. Berichte von gelehrten Sachen 1753, p. 623. 24, per occasionem mortis eius indicatae. Praeter dissertationem academicam *de Theologia Jesaiana*, praeside Jo. Henr. *Maio*, 1706 Giessae defensam, et tria programmata funebria nihil edidit. Horum priore Jo. Jac. *Fabrum*, virum consularem, (1729), altero Ioach. Theodoricum *Evers*, Philosophiae moralis Professorem, (1741), tertio Io. Hermannum *Luis*, virum consularem, eodem anno mortuum, laudavit.

10) *Laurentius Jo. Daniel Succow*, AA. LL. M., edito *de architectura* libro et docenda apud Jenenses Mathesi celebris, scholarcharum suffragiis d. 23 Oct. 1754 latis ad Dornemanni vicem supplendam Hamburgum vocatus est. Hic munus demandatum oratione *de defectibus quibusdam architecturae practicae* d. 5 Jun. 1755 habita adiit. Sed, anno nondum Hamburgi transacto, tempore verno anni 1756 Jenam rediit, munere professoris Mathesis et Physicae in illa academia functurus. Ibi deinde etiam nomine consiliarii secreti camerae a Principe Vimariensium 1796 ornatus est; sed mox d. 26 Aug. 1801 octuagesimo vitae anno decessit. Natus erat Schwerini d. 19 Febr. 1722. — Narrationem de vita sua ipse scripsit; quae reperitur in *Baldingeri* Biographien ieztlebender Aerzte und Naturforscher, To. 1, fascic. 2, p. 126-36. Scripta eius enumeravit *Meusel.* im gelehrten Deutschl., novissimae editionis To. 7, p. 737. 38. — Quum hic Ienam rediisset,

11) *Jo. Georgius Büschius* (natus Palaeo-Medingae in ducatu Luneburgensi d. 3 Jan. 1728) ad profitendam apud nos Mathesin est electus d. 23 Maii 1756; qui et privata quo-

rundam egregiae indolis iuvenum institutione, et commentatione *de rationibus et proportione* edita rerum mathematicarum scientiam declaraverat. Adiit munus d. 29 Jun. eiusdem anni oratione, in qua ostendit, *quantum incrementa Mathesis profuerint religioni.* Mortuus d. 5 Aug. 1800. Longum esset huius viri laudes enumerare, neque opus est, quum recens adhuc eius memoria vigeat, omniumque et nostrorum et exterorum ore sermonibusque celebretur. Vitam suam ipse enarravit in libro: Büsch Erfahrungen To. 4. (Hamb. 1794. 8.) Inscribitur haec libri pars: *über den Gang meines Geistes und meiner Thätigkeit.* Publica auctoritate Cel. *Nöltingius* quoque, collega noster meritis et annis venerandus, Büschii vitam et merita insignia vere et simpliciter adumbravit catalogumque scriptorum a Büschio ipso l. d. exhibitum supplevit in libello singulari, cuius index est: *J. G. Büsch — wahr und ungeschmückt dargestellt.* Hamburgi ap. Meyn 1801. 8.

Typothetae errata paucissima sunt haec:

P. 12 lin. 14 post *domi* et p. 15 post *contracta* commata sunt delenda, quum *contracta* ad *labem* pertineat.

P. 23 lin. 12 *degrederer* lege pro *digrederer.*

P. 25 lin. 20 *hae* lege pro *haec.*

P. 30. lin. 4 *amiserit* lege pro *omiserit.*

Mei errores sunt hi:

P. 17 lin. 12 lege: in museo *Büschio,* non, *Büschiano.*

P. 19 dixi *quadringentarum marcarum* stipendio Patriotarum societatem remuneratam esse Brodhagenii in erudiendis artificibus tironibus operam. Distinctius dicere debebam, *trecentas marcas* solutas esse pro lectionibus semestris hiberni quater per hebdomadem habitis, *centum et quinquaginta* autem pro lectionibus, quibus selectos quosdam auditores diebus solis instituit. Alterum de *trecentis marcis* pro institutione nautarum tironum solutis recte habet.

P. 21 in annotatione textui subiuncta lin. 3 lege *exemplis* pro *exemplaribus.* — Ibid. lin. 5 pro Calendarii *Mülleriani* lege *Müllerii.*

P. 22 *Hardenbergium* perperam dixi Regis Borussiarum *in bellicis rebus et reditibus publicis curandis* summum administrum. Nam est in iis Regis amicis et administris, qui *rebus publicis et exteris* prospiciunt, Franconiaeque Borussicae simul praeest.

P. 24 lin. 5 lege *Krusei* pro *Krusiani.*